

Vol. 86

THESES CREDENDORUM ATQUE AGENDORUM FUNDAMENTALES.

QUÆ
SINGULOS FIDEI ARTICULOS, PRIMI
MUM DOCTRINALIBUS, DEINDE MORA-
LIBUS, ET POSITIONIBUS ET QUÆSTIONIBUS,
ANALOGICE TRADUNT, EX SCRIPTURIS SACRIS DEMONSTRANT,
NECESSARIISQUE OBSERVATIONIBUS DECLARANT.

EX INSTITUTIONIBUS THEOLOGICIS,

A. 1694. PRÆMISSIS, DERIVATÆ A. 1699. NUNG
EMENDATÆ ATQUE AUCTÆ

A.
D. JOACH. JUSTO BREITHAUPt
ABBATE BERG. MAGD. SENIORE CONSIST. ET
TH. FAC. GEN. SUPERINT. DIRECT. SEM. TH. ET
SACRORUM HILDERSLEB.
EDITIO V.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
IMPENS. HÆR. JOH. FRID. ZEITLERI.
M. DCC. XXII.

KÖN.PR.FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

Ig 309 b



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
F R I D E R I C O
W I L H E L M O,
R E G I B O R U S S I A E,
MARGGRAVIO BRANDENBURGI-
CO, S. ROM. IMP. ARCHICAMERARIO
ET ELECTORI, SUPREMO PRINCIPI A-
RAUSIONENSI, NEOCASTELLI ET VA-
LANGIAE, DUCI MAGDEBURGI, CLIVIAE,
JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERA-
NIAE, CASSUBIORUM, VANDALORUM,
MECKLENBURGI ET IN SILESIA CROS-
NAE, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE, CA-
MINI, VANDALIAE, SUERINI, RACEBUR-
GI ET MEURSAE, COMITI HOHENZOL-
LERAE, RUPPINI, MARCAE, RAVENSBER-
GAE, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,
LINGAE, SUERINI, BURAE ET LEHRDAMI,
MARCHIONI VEHRAE ET VLissingae,
DYNASTAE RAVENSTEINII, ROSTOCHII,
STARGARDIAE, LAUENBURGI, BUTO-
VIAE, ARLAYAE ET BREDAE, RE-
LIQUA.

REGI ET DOMINO MEO LONGE
CLEMENTISSIMO,

FAUSTA AC BEATA OMNIA!

SERENISSIME ET POTENTIS-
SIME REX,
DOMINE LONGE CLEMEN-
TISSIME!



On auderem,
hunc libellum
R E G I A E
M A I E S T A T I .
offerre; nisi jam, quatuordecim
ante annos, eundem clementer
rece-

recepisses. Recepit & DEUS
OPT. MAX. vota, quæ tunc à
me facta sunt, atque implentur in
TE pridem. Quando verò inter-
im nec iste liber usque adhuc fuit
sterilis, novam nunc gratiam ausit
sperare & petere. Est denuò pur-
gatus, emendatus, auctus. Quem
talem demississimè exhibens, Re-
gium ipsi præsidium, nec non mihi
clementiam Regiam, oro. REX re-
gum, & DOMINUS domino-
rum, TE, DOMINE & REX!
foveat, regatque & tueatur! *Ungat*
TE *Spiritus JEHOVÆ* magis ma-
gisque, *spiritu sapientiae & intelligen-*
tiae, spiritu consilii & virtutis, spiritu
scientiae & timoris JEHOVÆ! Jesa.
XI, 2. Det augeatque TIBI gra-
a 3 tiam

tiam cœlestem illam, quæ resi-
bat in SAMUELE, ad *Judicis* san-
cti gloriam promerendam : 1. Sam.
XII, 3, 4, 5. in SALOMONE, ad
justitiam mirificè dispensandam ,
1. Reg. III, 27, 28. & *preces*, ad DE-
UM effundendas cum Regiâ soli-
citudine : 2. Chron. VI, VII, 12. &c.
in ABRAHAMO, & DAVIDE,
ad consilia *bellica* justè ac feliciter
expedienda : Gen. XIV, 19, 20. 2.
Sam. V, 10. VIII, 6. 14. in JOSA-
PHATO, ad *magistratus* DEOob-
ligandos : 2. Chron. XIX, 5, 6, 7.
in HISKIA, ad *Ecclesiæ* res ordi-
nandas integerrimè : 2. Chronic.
XXXI, 20, 21. Iefa. XXXVIII, 3. in
JOSEPHO, ad *Oeconomica* pru-
denter digerenda : Gen. XLI, 38, 39.
in

in DANIELE, ad sapientiam DEO
dignam præstandam in omnibus,
atque ~~etatem~~ grandiorem beatè
consequendam Dan. I, 20, 21. V, 11,
12. VI, 3, 4. 28. Hæc precor ab AL-
TISSIMO, & precabor

REGIÆ MAIESTA- TIS TUÆ

In Universitate
Hallensi'm. Apr.
a. MDCCXIII.

*ad processos coram DEO atque
obsequia servus juratus*

D. J. J. BREITHAUPT A. B.

MONENDA.

Christiane Lector! Scriptæ sunt hæ Theses⁹ secundum quas instituantur Lectiones Theologicæ , ut rerum Theologicarum fundamenta, uberiore cum explanatione, ex ipsis proponantur. Quòd si igitur nonnulla videbuntur fusiùs , quam alia, tractata esse, hæc subest ratio ; quòd illa non satis inculcari posint, quin tamen ab auditoribus prætermitti soleant ; cætera autem, distinctè vivâ voce tradita, facilius teneantur. Id verò elaboratum est maximè, ut doceantur res Theologicæ non solùm terminis, qui in scholis recepti sunt , verùm etiam loquutionibus, quibus Scriptura S. uititur, haud uno modo *synonymicis*. Quæ cognitionis Theologicæ pars quantopere sit necessaria, monet B. *Lutherus Præfat.* German. in Epistolam ad Romanos ; monet quotidiana experientia, quâ fit, ut, vel habiti doctissimi, reperiantur in Scripturis admodum rudes, neque has cum *Systemate* suo dignè conciliare nôrint, sed, quæ eadem planè sunt, tanquam aliena intueantur. Unde *λογομαχία* non modò, verùm & defectus deplorandi nascuntur in *dogmatis* Homileticâ, nec non errores sæpe in *salutis fundamento* committuntur, à quib⁹ minimè conveniebat. Quapropter simul *analagiam*, quæ tum inter ipsos *Fidei Articulos, dogmaticos & praticos*, tum verò inter momenta etiam doctrinarum, mutuò incidit, enucleare conati sumus. Circa *synonymias* autem ducimus notandum, quòd ob varios respectus non æquè latè sumendæ semper sint. v. c. *Synonymum regenerationis* est sanctificatio, seu renovatio, latè dicta; 1. Cor. VI,

II. Tit. III, 5. hæc nihilominus, strictè à Theologis accepta, non tam illi, quām statui post *justificationem*, competit. Ita verò in aliis quoque æquiores animi ultrò discernunt, quæ *simpliciter* prorsus, vel *secundum quid* tantùm, intelligenda sint: qualia quidem, sicubi non identidem repertuntur, non tamen omittuntur in docendo. Quò etiam spectat, Scripturas adductas nunc *probare*, nunc *confirmare*, aut *illustrare* proposita; & quidem vel *conceptis verbis*, vel per *consequentiā*. Denique de ipsis *Thesibus*, quæ *quæstionibus* præmittuntur, duo præsertim sunt non ignoranda. Etiam si interdum *vocum significations* iis explicentur, vel ista contineantur quoque, ex quibus *definitiones* rerum fieri possint; ipsæ tamen non sunt definitiones, sed hæc in *quæstionibus* sequuntur. Deinde, in *Thesibus* compacta sunt plerumque *membra*, quibus totidem speciales *theses* comprehenduntur: quemadmodum in *quæstionibus* animadvertes, quibus separatim illa declarata sunt.

Atque hæc ita monita fuere in *primis editionibus*. Nec intentio quidem nostra successu excidit suo apud eos, qui istic rivulis ad faciatur originem *Scripturarum Sanctissimarum*, inque his ad Spiritus S. efficaciam, hauriendam ipso conscientiæ usu è Verbi DEI vocibus *practicè emphaticis*, per *Thesum pædiæ analogicam* se duci paterentur. Haud defuerunt tamen, qui nescio quas inde *offensiones*, sibi atque aliis effingere maluerint, quām eodem, vel agnito frui nobiscum, vel agnoscentio uti instituto. Verùm enim verò hi audiant B.
GERHARDUM Loc. Th. de *Evangelio* p. 182. *Fa-*
temur

temur sanè, aliquam multos, prob dolor! turpissimè
doctrinâ Evangelii, de gratuitâ peccatorum remissi-
one propter Christum, abuti; qua de re justissimam
instiuit querelam amicus noster singularis. JOH.
ARND. in præfatione librorum LECTU DIGNISSIMO-
RUM de Vero Christianismo: sed hoc veritati Evan-
gelicæ fræudi esse nec potest, nec debet. Ille autem
abusus si veritati Evangelicæ non fraudi est, quan-
tò minùs offendere quenquam debebat ejusmodi
usus docendi Arndianus: quo dogmata Evangelicæ
è fontibus suis Biblicis, ad veram interiorem
praxin applicantur, ne quis abutatur eis! Fortè
aliquam justi speciem præ se ferret offendio, si di-
ctiones Theologicas, seu Ecclesiasticas, (tanquam
terminos doctrinæ Theologicæ technicos) in hâc
methodo prætermitteremus. At verò, quum
non modò eas, sed modos etiam loquendi, in The-
ologorum scholis scriptisque usitatos, sedulò si-
mul adhibeamus ac commendemus; sinistræ in-
terpretationis autores desinant mirari, quòd &
Analogiæ secundum Scripturariam Exegesin pra-
etice locus faltem aliquis in Thesibus vindicetur.
Si quis & illud in partem sequiorem traxerit, cùm
Theologiæ finis constituitur imago Dei, quatenus
instauranda: mirum admodum est, immò stu-
pendum, inter Christianos, ipsosque Theologos, id
posse adduci in dubitationem, quin, negari etiam.
Contrà, Scripturæ S. & Fidei Analogia sic clamat:
Quicunque fuit creationis hominum finis, idem
ipse est restitutionis per Christum factæ, idémque
per Evangelium reparatur, & totius Theologiæ
est finis, inchoatè proximus, consummatè ultimus.
Atqui imago Dei finis ille fuit. Ergò. Vim hu-
jus

jus argumenti uberioris confirmat B. LUTHERUS in Genesim c. l. ad v. 26. ubi inter alia : *Hoc habemus, quod spiritualem vitam & FINEM vitaे, in paradiſo cogitatum, & DESTINATUM à DEO, post hanc vitam credimus, & certò exspectamus per meritum Christi.* Item : *Hoc PER EVANGELIUM AGITUR, ut imago illa reparetur. Manserunt quidem intellectus & voluntas, sed valde vitiata utraque. EVANGELIUM igitur HOC AGIT, ut ad illam, & quidem meliorem imaginem, reformemur ; quia in vitam æternam, vel potius spem vitæ æterne, renascimur per fidem, ut vivamus in Deo & cum Deo, & unum cum ipso simus, sicut Christus dicit. Neque verò ad vitam solùm renascimur, sed etiam ad justitiam ; quia fides arripit meritum Christi, & statuit, nos per Christi mortem liberatos esse. Inde alia justitia nostra oritur, nempe illa vitæ novitas, quā studemus obtemperare Deo, edicti verbo, & adjuti per Spiritum Sanctum. Sed hæc justitia in hac vita incipitur, tantum, neque potest in hac carne esse perfecta. Placet autem Deo, non tanquam perfecta justitia, aut tanquam pretium pro peccatis ; sed, quia proficiuntur ex corde, quod nimirū fiduciâ misericordiæ Dei, per Christum. Deinde hoc quoque FIT PER EVANGELIUM, ut conferatur nobis Spiritus Sanctus, qui resistit in nobis incredulitati, invidiæ & aliis virtutis, ut serio optemus ornare nomen Domini, & verbum ejus &c. Ad hunc modum INCIPIT IMAGO ISTA NOVÆ CREATURÆ REPARARI PER EVANGELIUM in hac vita : sed non perficitur in hac vita, perficietur autem in regno Patris. Ecce ! totum hoc systema finem ostendit, quem intendit Theologia proxime !*

Qui

Qui Lutheri scriptum illud divinum non facile
obtinere potuerint, consulant opusculum Ger-
manicum *Institutionis Fundamentalis* è Lutheri
operibus collectum à B. D. VEIELIO, editum
Gothæ a. 1675. p. 99, 100. &c. id quod in omnes
Fidei Articulos commendare soleo. Duumviri in
adornandis Locis Theologicis, Melanchthon &
Chemnitius, cur tantopere laborant in *Originis*
Malo detegendo, nisi ut eò magis beneficia Chri-
sti illustrentur? At qui eò respicientes, tanquam
ad terminum à quo, certè ad hæc contendunt, tan-
quam ad terminum ad quem: quorum complexum,
ipsam esse imaginis Dei restitutionem, prædicant;
hæc, ait *Apol. Aug. Conf.* p. 53. 54. hæc dona, noti-
tiam Dei certorem, timorem Dei, fiduciam Dei,
aut certè reæstitudinem, & vim, illa efficiendi. Id-
que testatur Scriptura, cùm inquit, hominem ad i-
maginem & similitudinem Dei conditum esse. Quod
quid est aliud, nisi, in homine hanc sapientiam &
justitiam effigiatam esse, quæ Deum apprehenderet,
& in qua reluceret Deus? hoc est, homini dona esse
data, notitiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga
Deum, & similia. Sic enim interpretantur simi-
litudinem Dei Irenæus, & Ambrosius; qui cùm alia
multa in hanc sententiam dicit, tunc ita inquit:
NON EST ergò ANIMA AD IMAGINEM DEI, IN
QUA DEUS NON SEMPER EST. Et Paulus ad E-
phesios & Colossens ostendit, imaginem Dei noti-
tiam Dei esse, justitiam & veritatem. Sic autem
scribens Doct̄or Gentium, an non & sibi & his
scopum eum præfixit, quem ad obtainendum, &
ipse docendo, & convertendi conversique audi-
endo, unà tenderent? Et Antistes Mediolanen-
sis

sis cum laudatur, quid iste? nisi doctrinæ Christi-
anæ finem esse, ut Deus in animâ sit per fidem;
id verò nihil esse aliud, quâm ut denuò sit anima
ad imaginem Dei. CHEMNITIUS locis Pau-
linis duobus adjungit plura, Rom. XII, 2. &c. 2.
Cor. III, 18. ipsumque Decalogum; identidem
inculcans, tum suprà dictam utriusque termini à
quo & ad quem antithesin; (non intelligi seu a-
gnosci posse magnitudinem gratiæ Christi, nisi
cognitis nostris morbis) tum Canonem Theolo-
gicum: quænam fuerit imago Dei in homine, da-
cere ipsam restitutionem imaginis, quæ in hac vitâ
per Spiritum S. inchoetur, & in vitâ æternâ absolu-
tur; atque hanc imaginem à Lege requiri in pri-
mo & ultimo præcepto, & Deum per Christum
eam querere in nobis. Legatur Chemnitius de
Peccato Originis, & in Locis, & præsertim in Exa-
mine Concilii Tridentini. Accedat evidentissima
Finis ultimi cum proximo Fine analogia, quam
suppeditat GERHARDUS Loc. Theol. de Vitâ
Æternâ §. 70, 71, 72. inter reliqua præclara po-
nens, ut modò Chemnitius: notandum, quod in
hac vita inchoetur, in futurâ perficiatur. Et post
allata eadem Scripturæ dicta: quemadmodum enim
primitie testimonium sunt sequuturæ messis, sic in-
choata divinæ imaginis reformatio evidens indicium
est, plenam & perfectam renovationem secuturam in
vitâ æternâ. Quæ quidem analogia, plurimis Scrip-
turæ testimoniis ibidem corroborata, recondi-
tam præbet argumentationem hanc: Si finis ulti-
mus est futura imago Dei perfecta, proximus est
inchoata. Ratio consequentia: ubi definit proxi-
mus, ibi ultimus incipit, & contrà; seu, perfectio
pro-

proximi est ultimi constitutio. Concludit eam
relationem, addens superiorib⁹ nexum prægnan-
tissimum ex 2. Pet. I, 4. *Si in hac vitâ divinæ naturæ*
confortes dicuntur, quantò magis in futurâ vitâ be-
atum illud confortium habebit locum. Approbat
quoque, quod Veteres statuant triplicem Dei i-
maginem; *Naturæ, Gratiae, & Gloriæ:* finem cre-
ationis *primum*, restitutionis *intermedium*, atque
perfectionis *ultimum*. Idem in *Loco de imagine*
Dei c. IX, utitur hoc argumento: *Ad quod per Spi-
ritum S. ita renovandi sumus, ut ex nova quadam*
*creatione illud in nobis restituatur, id utique amis-
sum,* (adde, per consequentiam necessariā) & ejus
restitutione, nunc inchoanda, post consummanda, est
finis, ut redēptionis, ita totius Theologiæ. *Jam*
verò ad imaginem Dei per Spiritum S. ita renovandi
sumus &c. Est ergò & amissa, & ejus restitutio est
finis. Conf. c. X. de *Uſu*. Quocircà juvat medita-
tionem, quod traditur Eph. II, 3. 10. Quando verò
ipse hic GERHARDUS libros JOH. ARNDII,
de Vero Christianismo, qui suum filum ab initio
deducunt ex *imagine Dei*, tanquam *fine*, usque ad-
eò legendos suadet; non potest sanè illorum pri-
marium hoc momentum apud eum in offensâ fu-
isse. Et quomodo potuerit, positis ab eodem supe-
rioribus fundamentis? Quæcunque igitur visa
fuerint obſtare *hypothesi*, de fine Theologiæ, ſito
in *imagine Dei* instaurandâ: quandoquidem hīc
talia non vacat perſequi, dignoſcentur iſta qui-
dem facilè cum ſequentibus erroribus, tanquam
fontibus ſuis. Primus error eſt, πρῶτον ψεῦδος, ex
quo absurdâ omnia: *Fidem non eſſe finem Theo-*
logiæ, quatenus & ſanctificat, ſed tantum quatenus
justifi-

justificat: seu, quod idem; secundum *quidditatem*
solummodo esse, non etiam secundum *qualitatem*.
Vel, quod eodem reddit: Ad finem pertinere modò, quæ
tanquam *causa & medium* efficiunt salutem, non item,
quæ salutis ordinem constituant. Contrarium docet pro-
lixè & B. JOH. MUSÆUS *introduct. in Theologiam*
c. III. §. VII. XII. XIII. XIV. XXI. & cum eo B. BAYE-
RUS *Compend. Th. Pos. c. I. §. XVI. LXXIX, XIX.* p. 30,
31, 32, 33, 34. Ante hos B. KOENIGIUS *eadem* men-
te, disciplinæ huius *practicæ*, ut *subjectum operationis*
materiale dicit hominem reducendum, ita *formale*, totam
ejus ad Deum reductionem, eum finem introducendum, seu
obtinendum. Neque aliter rectè sentiri potest secundum
Scripturam, quæ totam *benedictionem* Abrabæ statuit *fi-*
nem internâ diuinam, unâ cum Remissione peccatorum &
Conversionem & Sanctificationem. Act. III, 25, 26 Gal. III,
§. 14. Fundamenta rei est: quoniam sine iis, quæ sunt *or-*
dinis & via, ipsa *media & causa* non efficiunt in homine
salutem. Imaginis Dei autem instauratio universum negoti-
tium significat, quod lapsos mortales ad Deum reducit, ra-
tionem fidei nullam excludens. Quo agnito; nec in reli-
quis erroribus species veri superest: ut (2) *cum fide confun-*
di renovationem. Nequaquam vero, Renovatio, strictè di-
cta, est potius exercitium & status, in quo conservatur in-
choata imago Dei, quam hujus instauratio prima: hæc e-
näm existit ipsum regenerationis opus, pariens *effectum vi-*
tæ spiritualis, quam fides efficit. An ergò & *Johannes* fidem
confundit *cum vitâ*? Joh. XX, 31. quæ dicitur *finis*, nec
ultimo modo, sed primò quidem & proximè illa ipsa, quæ
jam tunc per nomen Christi & fidem habetur, estque unio
cum Deo, imago Dei. An similiter *Paulus* confundit fi-
dem *cum salute*? scribens, per eam ad hanc nos duci à Scri-
pturâ & Theologiâ: intelligens omnino *salutem*, quæ pro-
ximè consistit in gratiâ imaginis Dei, atque ultimo aeternam.
2. Tim. III, 5. Quid detrimenti, quando *Illuminatio*, *Rege-*
nratio, *Justificatio* & *Renovatio*, non quidem miscentur,
sed sūo quæque spectantur loco, finem unum *completum*,
seu integrum reddentes ac retinentes? scilicet salutem in i-
magine Dei restitutâ, denique florente penes hominem,

per

per Fidem. Et verò quām necessarium hoc sit, videre est apud GERHARDUM Loc. Theol. de Scriptura S.c.XVII. §. 2. seu 362, ubi Scripturæ & Theologiae pariter: conf. Musæi introduct. c. III. §. XIV. in Notâ) fines hujusmodi intermedios plures commonstrat necessarios; tanquam medicinam, pro conditionibus morbi nostri; commen-
dans hac de re suam Methodum Studii Theologici part. 2.
sect. 4. c. 2. Quis (3) putârit, hinc quidquam derogari do-
ctrinæ de *Justificatione* & *Salvatione* per solam fidem? si-
quidem istius integratî inserviunt omnia, quæ ordinis
sunt: veluti hanc pedagogiam depingit *Apologia A.C.* p. 134.
dum inter terrores erigimur & consolationem concipimus,
simul crescunt alii motus spirituales, notitia Dei, timor Dei,
spes, dilectio Dei, & regeneramur, ut ait Paulus, ad agnitionem
Dei, & intuentes gloriam Domini, transformamur in
eandem IMAGINEM: id est, concipimus veram notitiam
Dei, ut verè timeamus eum, verè confidamus, nos respici, nos
exaudiri. Hæc regeneratio est quasi INCHOATIO AE-
TERNÆ VITÆ. Longè plurimum verò detrahitur ipsi
orthodoxia, si isthac non illibata servatur ex orthotomia.
Cum enim, justificatio & salvatio per solam fidem, sic do-
cetur, finis Scripturæ & Theologiae ut NEGRETUR simul
ponendus in auxiliis Spiritus Sancti: hæc methodo aufer-
tur alter redēptionis fructus, sine quo fides ne existere qui-
dem poterit divina ac vera. Atque hæc methodus est ipsa
illa, quam non modò tot errores, verū tot abusus etiam,
atque omnem defectum vitæ melioris parturire, cum
ARNDTIO GERHARDUS gravissimè conquerus est.

Finio, ut antehac; Patrem Coelestem venerans, ut te,
Lector! gratia & mens Domini nostri JESU CHRISTI
impleat, tûque gratiæ divinæ gustum, quem ante omnia in-
tendimus subministrandum atque augendum, in omnibus
assequare; nec aliter, quām ex eo, judices de ulla re aut
voce; ne agas temerè. Ita mecum sentiens, vale
rectissimè in DOMINO iterum ite,
rūmque!

¶ (o) ¶



I. N. f.

THESES

CREDENDORUM ATQUE AGEN-
DORUM FUNDAMENTALES.

LIB. I.

DE IMAGINE DEI IN LAPSIIS HO-
MINIBUS INSTAURANDA.

CAP. I.

De Indole Doctrinæ ac Cognitio-
nis Theologicæ.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Theologia significat doctrinam, divinitus reve-
latam, de pietate seu Dei cultu.

Qv. i. Christianismus, seu Doctrina Christiana,
quid est?

D
octrina Christiana, intra hominem
spectata, experimentalis cognitio est
veritatis ejus, quæ est secundum pie-
tatem, sub spe vitæ æternæ, Tit. I, 1, 2.

dubia
A. Extra

2 DE DOCTRINA CHRISTIANA. [L.I.C.I.]

Extra hominem considerata, prout consignatur litteris, vel ore profertur; est testimonium de veritate verbi Dei, præcipue hæc, quod Christus lux ipsa sit vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joh. I, 8, 9. V, 33.

Qv. 2. *Veritas de pietate, seu Dei cultu, unde accipitur?*

Ex divinâ revelatione. Datur hæc, post gentis humanæ lapsum, vel generalis, ex Naturæ lumine; Rom. I, 19. Ps. XIX, 1. atque hinc naturalis notitia Dei: vel specialis, ex Scripturæ lumine; 2. Pet. I, 19. Ps. CXIX, 105. unde notitia Dei revelata speciatim dicitur, ipsum Dei de Filio suo testimonium, quod credentes habent in semet ipsis. 1. Joh. V, 9, 10. Gal. I, 12, 16.

Qv. 3. *Theologia quid denotat?*

Quod ipsa sit doctrina neq; tñ ßeß, tradens λόγον τñ ßeß, sermonem ipsius Dei; 1. Thessl. II, 13. λόγια τñ ßeß, eloquia ipsius Dei. Rom. III, 2. 1. Petr. IV, 11. Hebr. V, 12. Doctrina secundum pietatem, tradens sermones Domini nostri Jesu Christi spiritualiter salubres. 1. Tim. VI, 3. eorundem (ύποτροφίας) expressa forma. 2. Tim. I, 13.

TH. II.

Dei notitia naturalis datur, & insita, & acquisita, cultum religiosum exigens.

Qv. 1. *Naturalis notitia Dei quænam insita vocatur?*

Insita hæc non dicitur ipsa cognitio Dei, sed tantum propensio aliqua, seu instinctus, naturæ homini adhuc

DE NOTITIA NATURALI. [L.I.C.J.] 3

adhuc insitus, ad Deum agnoscendum: qualis reputanda suggeritur Atheniensibus Act. XVII, 27, 28. Quo sensu & Rom. I, 19 τὸ γνῶσθαι θεόν, id quod de Deo cognosci potest, dicitur esse in hominibus: quod autem additur, manifestum id esse, significat *acquisitam*.

Qv. 2. *Acquisita hæc quomodo comparatur?*

Quando insita illa sit manifesta; ex auditu generaliore, ut Ios. IX, 9. ex intuitu & consideratione operum creationis, Rom. I, 20. & conservacionis: Act. XIV, 17. XVII, 25, 26, 27, 28. ex conscientia sensu, quo Gentiles etiam jus & judicium Dei, quod, qui mala faciunt, digni morte sint, agnoscunt; Rom. I, 32. & ita quidem, ut (φύσει) naturā faciant, seu facere quodammodo possint, quæ sunt legis. Rom. II, 14.

Qv. 3. *Ex acquisita hujusmodi notitia quid Theologia docere potest?*

Existentiam & attributa Dei, quodque iis conveniens cultus Deo debeatur; item, de præmiis aut pœnis sperandis. Rom. I, 19, 20, 21. 28. 32. conf. Heb. XI, 6.

Huc spectant principia naturā nota: esse Deum, hunc colendum, lèdendum neminem, suum cuique tribuendum, parentes honorandos, decorum observandum. 1. Cor. XI, 14.

TH. III.

Notitia Dei, aut Theologia, naturalis, ad salutem æternam hominibus conferendam, non est sufficiens.

A 2

Qv. 1.

¶ DE ACQUISITA, NON SUFFICIENTE. [L.I.C.I.]

Qv. 1. *Quid hominibus lapsis ad salutem recuperandam est necessarium?*

Ante omnia, Reconciliatio cum Deo, peccatis offenso: Ps. XLIX, 8, 9. 16. 21. 2. Cor. V, 20 nec non Sanctificatio, sine qua nemo videbit Dominum; Hebr. XII, 14. h. e. Regeneratio. Joh. III, 3. 5.

Qv. 2. *An ergo notitia aut Theologia naturalis, tanquam veritas, ad ea tradenda sufficiens ex se est?*

Non. Est quidem veritas; Rom. I, 18. sed cuius lumen eò non pertingit, ob tantam hominum corruptionem: hi enim propendunt potius ad omnia in mendacio (in vano opinionis errore, in quem lapsi sunt, secuti Diabolum, Joh. VIII, 44.) transmutanda & pervertenda. Rom. I, 25. Hinc veritas in injustitiā detinetur: v. 18. ut ad ipsius salutaris veritatis agnitionem venire nequeant. 2. Tim. III, 7.

Mundus Deum ne cognoscit quidem in Dei sapientiā per ipsam hanc sapientiam. 1. Cor. I, 21. conf. Joh. XIV, 17. Ephesii ante conversionem Evangelicam erant sine Christo, spem non habentes, & à Deo, in mundo. Eph. II, 12.

Qv. 3. *Sanctificationem an non ex Lege naturali haurire licet?*

Legem ipsam non tradit cognitio naturalis sufficienter, nec spiritualiter: neque ad praestanda illa, quæ monstrat, vires suppeditare, multò minùs veram peccatorum agnitionem & penitentiam exigere ac docere potest. Rom. VII, 7.

14. 18.

Qv. 4.

DE NOTITIA REVELATA. [L.I.C.I.] 5

Qv. 4. Reconciliationem cum Deo an non ex Dei misericordia licet assequi?

Assequitur quidem ratio benignitatem Dei: Act. XIV, 17. sed, eā dignè uti nequit, ignorans Christi redēmptionem seu satisfactionem. Nam, si peccator sine mediatore fiduciam in divinā bonitate poneret, temeraria esset præsumtio, atque eatenus mendacium, verbo Dei contrarium. Joh. III, 36. Rom. III, 24.

Quam pœnitentiam sectatur natura, hanc nullam esse, nec dignam misericordia, testatur defectus, & proportionis, ad iram infinitam, Ps. XLIX, 8. & veritatis, ob indissolubilem arrogantium, coram Deo intolerabilem. Math. VI, 7.

Qv. 5. Pœnitentia Christianorum estne arrogantie expers?

Pœnitentia, Christianorum verè propria, & ipsam arrogantiam enecat; & quidem, ex mortis Christiviribus. Rom. III, 27. Fit enim ex efficaci communione crucis Christi, ut, qui ante conversionem quævis pati maluerit, quam ignominiam de pietate, is, quando verè convertitur, ipsam de Christi nomine contumeliam ultrò amplectatur, ac semetipsum misericordia indignum pronunciet. Nicodemi & Pauli exempla in promptu sunt. Joh. XIX, 39. 1. Tim. I, 13. 15, 16. Conf. Th. VI, q. 2. L. III, c. III, th. III, q. 6. 7.

TH. IV.

Notitia Dei, aut Theologia, revelata, hominibus non aliter est salutaris, quam quoad in ipsis etiam Sci. ijturae. efficaci-

am revelantem exserit; hoc est, spirituali sensu & experientia agnoscitur, atque exercetur ipso usu.

Qv. 2. Si ex Naturæ libro salutis notitia non habetur, unde ergo?

Ex libris Scripturæ Sacræ, Non sequimur eruditas fabulas, sed habemus firmiorem sermonem Propheticum & Apostolicum. 2. Pet. I, 16. 19. Eph. II, 20. Sole sacræ litteræ sunt, quæ possunt hominem eruditum facere ad salutem, per fidem, quæ est in JESU Christo: cætera non pietatis efficaciam, sed vanam ejus speciem tradunt. 2. Tim. III, 15. 5. Conf. Joh. XVII, 3.

Qv. 2. Num Scripturarum veritas, quounque modo cognita, æternæ salutis finem efficit?

Minime; sed veritas de Deo, qui spiritus est, in spiritu & veritate est cognoscenda, ut pariter Deus adorari possit. Joh. IV, 24. *Spiritus ipse est, qui testificatur, spiritum veritatem esse: & qui credit in Filium Dei, in se ipso habet testimonium illud Dei de vitâ æternâ.* 1. Joh. V, 6. 10. 11.

Ita ergo necessaria est agnitio veritatis secundum pietatis indolem, Tit. I, 1, ut veritas articulorum fidei mysterium pietatis sit, 1. Tim. III, 16, cuius verus & salutaris usus consistat in fidei agnitione experimentali: quam Deus in suâ lingua dicit ἐπιγνωστιν (Tit. I, 1. conf. 1. Joh. II, 3.) sub uno vocabulo comprehendens & notiam & affectus, qui notitiam sequuntur; nec non *αἰδησθαι*, vivido cor-dis sensu affectivam. Phil. I, 9. Conf. D Glassii Philologia S. p. 1302.

Qv. 3.

DE NOTITIA SALUTARI. [L.I.C.I.] 7

Qv. 3. Num ad usum nihil amplius requiritur,
quam quævis agnitus spiritualiter affe-
ctiva?

Irritum est initium gratiæ, nisi ipso exercitio confirmetur, ut adhuc magis magisque redundet in agnitione & omni sensu. Phil. 1, 9. Ne cognoscere quidem possum⁹ doctrinam Christi, quod ex Deo ipsa sit, nisi voluerimus voluntatem Dei facere. Joh. Vll, 17. Hebr. IV, 2. Falsa est persuasio, quenquam habere vitam æternam in Scripturis, nisi ipso voluntatis affectu secundum eas ad Christum venerit, atque sic vitam habeat. Joh. V, 39, 40. Vlll, 31. Qui verò dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, is mendax est, & veritas non est in eo. 1. Joh. II, 3, 4.

Qv. 4. Quid opponitur istiusmodi vera cognitioni?

Cognitio merè historica, destituta omni affectu; tum Historico-Diabolica, quando & Diaboli credentes cum tremore experiuntur Deum: Jac. II, 19. qualis in homines quoque irregenitos cadit. Item vana illa persuasio de Dei gratiâ ac salute, apud homines impoenitentes & securos. Quæ est fides mortua, ib. v. 26. Filii Eli erant filii Belial, nec agnoscebant Jehovahm. 1. Sam. II, 12.

Qv. 5. Cognitio historica an non vera est?

Etiamsi in sensu litteræ sit aliquo modo vera, ut Rom. II, 18. 20. vera tamen non est intra hominem sensu spiritus, qui unicè verus & proprius verbi divini est, nec cognitione historicâ attingitur: hic enim constat spirituali affectu & experientio. 1. Cor. VIII, 2, 3. XV, 34.

A 4

Qv. 6.

Qv. 6. Quid de ratione cognoscendi illâ sentiendum,
qua conjuncta est cum honestâ educatione & exter-
nis cultus divini exercitiis?

Ratio illa vivendi & cognoscendi olim erat
Phariseorum, hodie autem multorum inter nos:
quam Christus comparat cum sepulchris dealba-
tis, quæ extrâ quidem apparent speciosa, intus ve-
rò plena sunt ossibus mortuorum omniq[ue] im-
munditiâ Matth. XXIII, 27. Dicenda *Historico-*
Pharisaica, seu hypocritica, utpote quam ipse
Christus v. 28. pronunciat plenam hypocrisy &
iniquitate.

Deum profiterentur se scire, sed factis negant: sibi
videntur satis sancti, verè abominandi existentes
ac rebelles, & ad omne opus bonum rejectanei.
Tit. I, 16 Similes ejus filii, qui, quod promittebat,
non præstitit; quales à conversione judicantur
alienissimi. Math. XXI, 30, 31. conf. Luc. XVIII,
21, 22.

Qv. 7. Unde apud hos tanta difficultas?
Sub honestate morum, & cultu Dei externo,
pietatis modò formam habent, vim autem bujus ab-
negant, voluptatum amantes potius, quam Dei: cu-
mulantur peccatis, aguntur cupiditatibus variis;
atque ita semper discunt, sed nunquam ad cognitio-
nem veritatis venire possunt: nam denique obdu-
rantur, resistunt veritati, mente corrupti, rejecta-
nei circa fidem 2. Tim. III, 5, 6, 7, 8.

Tremendum judicium Dei si Ethnicos, verita-
tenaturali, & Judæos, lege abutentes, multò ma-
gis Christianos, propter gratiæ abusum, premit.

Rom.

Rom. I, 21. &c. II, 4, 5. Hebr. II, 1, 2, 3. Religio non ex propatulo censetur, sed ex occulto, è *cordis circumcisione*: alioqui laus ex hominibus, non ex Deo. Rom. II, 28, 29. Ex quâ cognitione hypocriticâ judicium aggravescit. Luc. XII, 47.

Qv. 8. *Vis gratiae et pietatis, quae cognitionem veritatis veram afferit, unde et quomodo habetur?*

Vera & salutaris notitia non ex ratione sibi reliqua, Matth. XI, 25. Joh. XIV, 17. 1. Cor. II, 14. neque ex *Lege solâ*: Gal. III, 2. sed, agnitiâ hujus paedagogiâ, ex *Evangelio* accipitur, tanquam *Spiritus promissio*. ib. v. 14.

Modus percipiendi traditur 2. Pet. I, 19. quod verbo attendendum sit, velut lucernæ splendentia in obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in *cordibus nostris*. Ipsa hæc efficacia incipit à *tristitia secundum Deum*, quam consentit propterea, quod secundū Dei mentem atq; indolem non animatum sit. 2. Cor. VII, 10. Ita excitato ac surgenti à mortuis, illucescat ipse Christus. Eph. V, 14. Nam Dei regnum non situm est in verbis, sed in spirituali efficaciâ. 1. Cor. IV, 20.

TH. V.

Cognitio Theologica apud impios aut hypocritas non est vera.

Qv. 1. *Quidnam discriminis est inter veram notitiam Christianismi communioram, & Theologicam?*

Vera notitia Christianismi est ipsa fides, seu fidei obsequium. Rom. I, 5. Ab eâ non differt cognitio Theologica, si rem spectes; sed fidei innititur

A 5 potius

10 DE COGNITIONE NON VERA. [L.I.C.I.]

potius, ipsamque includit Theologia, *habitum requirens ac sensus magis exercitatos ad discretionem boni & mali.* Heb. V, 12.14.

Quod si autem fides ipsa debet esse (*ὑπόσατος εἰποτινεν*) subsistens in spiritu possessio, seu agnitionis supernaturalis, sperandorum; Hebr. XI, 1.X, 34. multò magis id Theologiae competit, necesse est.

Qv. 2. Quid ergo est vera Theologia?

Est doctrina secundum pietatem, è salubribus Iesu Christi sermonibus imaginem Dei supernaturaliter instaurans penes animum, & agnitionis habitu sensus ita exercitatos reddens, ut circa Deum id, quod verum est, à falso, bonumque à malo, spiritualiter discernatur, veritas doceatur, & repellantur contradicentes. 1. Tim. VI, 3. 2. Cor. III, 18. Hebr. V, 14 Tit. I, 9.

Qv. 3. Cognitio Theologica apud impios & hypocritas an non est vera?

Non est vera. Qui dicit, *novi Deum*, & manda-ta ejus non servat, is mendax est, & veritas non est in eo. 1. Joh. II, 3, 4. Animalis homo, quæ spiritus sunt, non percipit; sin ea audiat, *sunt ipsi stultitia, nec potest talia cognoscere*, nisi efficax Spiritus S. revelatio ex verbo admittatur, ut homo fiat *spiritualis*, qui spiritualiter illa dijudicare possit. 1. Cor. II, 14, 15. Conf. Th. IV. qu. 5. sup.

Vera cognitio Theologica est *supernaturalis*, audienda & discenda à Patre ipso. Joh. VI, 45. Quemadmodum unigenitus filius, utpote qui est in sinu Patris, Theologiam gratiæ & veritatis plenam enarravit (*ἐξηγήσατο*) Joh. I, 18. ita & omnem

DE COGNITIONE THEOLOGICA. [L.I.C.I.] 11

mæm credentem, qui Deum non quidem æqualiter viderit, c.VI, 45, 46. à Deo tamen ipso, per Spiritum suum revelante, doctum esse oportet: ib. & 1. Cor. II, 4, 5, 10, 13. ut maneat (ultimo subsistat) in ipso Christi sermone, quatenus hic fidem efficaciter operatur. Joh. VIII, 30, 31. 1. Cor. II, 5.

Qv. 4. Quibus mediis acquiri potest vera Theologia?

Oratione, Meditatione verbi, & Tentatione. Jac. I, 5. Joh. V, 39, 40. VII, 17, 1. Pet. I, 6, 7. Es. XXVIII, 19. Scientia, quæ solo ingenii & memoriae studio obtinetur, assensum modò humanum & naturalem assert è testificatione hominum ac persuasione: ut verò divinus & supernaturalis existat, Theologiae proprius assensus, oritur ex ipso verbi divini revelante spiritu, videlicet trahente voluntatem, atque intellectum illuminante. Act. XVI, 14. Rom. I, 16. 1. Cor. I, 18. 24. 1. Thess. II, 13. 1. Joh. V, 6.

Qv. 5. Num ejusmodi tractio atque illuminatio statim efficit Theologiam?

Non: sed animus operatione hâc Spiritûs S. uti debet, ut ante omnia Deo reconcilietur, viribusque gratiae instructus, per media laudata, renovationem spiritualem exerceat, magisque ac magis ita augeat cognitionem practicam. Rom. XII, 2. unde acquiritur habitus & intelligentia & sermonis, qui consistat in demonstratione Spiritûs ac potentie. 1. Cor. II, 4, 5.

Qv. 6. Quid est demonstratio Spiritûs ac potentie?

Est, recte secare sermonem veritatis. 2. Tim. II, 15. ut spiritualia dijudicentur spiritualiter, h. e. se-

CUL-

cundum scientiæ & experienciæ spiritualis analogiam seu proportionem. 1. Cor. II, 13, 14. conf. V, 9, 10, 12. Quæ fidei analogia, dictis subsidiis acquisita, si dignè adhibetur, verbum Dei tum spiritus divini mentem explanat, tum efficaciam exserit in audientibus.

Utrumque Christus desiderabat in Sadducæis, aperte negans ipsos in doctrinâ de Resurrectione Scripturas nôsse, & potentiam Dei. Matth. XXII, 29.

Qv. 7. Analogia fidei quid est?

Proportio seu colligatio Articulorum fidei, tum inter se, tum ratione ordinis ad salutem necessarii, ipso fidei spiritu ad certam mensuram agnoscenda, ut omnia ad salutem pertinentia spiritualliter dijudicare valeamus. Rom. XII, 3. 7. 1. Cor. II, 15. 2. Cor. IV, 13.

Qv. 8. Hujusmodi analogiam & demonstrationem an impius acquirere nequit?

Quàm diu homo est impius aut hypocrita, aut lapsus, spiritualem fidei analogiam, ut talem, non potest capere. 1. Cor. II, 14, 15. Joh. XIV, 17. Non nullam quidem cognitionem ejus historicam habere potest: Rom. II, 18. &c. verùm hæc non reddit quenquam idoneum ad demonstrationem in spiritu & potentia; sed ejus loco fit apud irregentios, ut cauponentur sermonem Dei. 2. Cor. II, 17, IV, 2.

Qv. 9. Linguae & disciplinae quid profunt?

Utræque sunt utiles ad docendum. Linguae; ut mens Spiritus. Ex proprio ipsius in Scripturis idioma indagetur. 2. Tim. III, 15. Disciplinae; non, ut sciendi modum afferant, qui potius supernaturalis ex rerum spiritualium indole fluit: 1. Cor. VIII, 2, 3. sed,

sed, ut isto cum ipsis dogmatibus agnito, observationes ad digerendum & explicandum, nec non distinctius eloquendum, ex naturae usu communi adhibeantur.

Qv. 10. *Estne abusus observationum Philosophicarum in Theologiam periculosus?*

Omnino: quia spiritualia non ex corrupto naturae lumine, sed spiritualiter dijudicanda sunt. Ipse Apostolus cavit, ne quis per Philosophiam decipiatur, nec vanitate mentem occupet, obtenebrans rationem, & alienatus à vita Dei, sub nomine scientie ignorantium contrahat, Col. II, 8. Eph. IV, 17, 18. I. Cor. XV, 34. in quod periculum fideles ipsos relabi posse, docet etiam epist. I. ad Corinth. c. I. II. III. IV.

Ne autem principia spiritualia & naturalia confundantur, ante omnia spiritualis analogia fidei (mysterium illud Dei & Patris & Christi, in quo omnes sunt thesauri sapientiae ac cognitionis absconditi) plenè & vivide agnoscenda, atque in Spiritu Sancto precibus & amoris Dei exercitio custodenda est; sic abusus Philosophiae ab usu sollicitè discerni poterit. Coloss. II, 2, 3, 4. Jud. 20, 21.

TH. VI.

Theologiae finis proximus est imaginis divinae instauratio, ultimus vita eterna gloria.

Qv. 1. *An experientia spiritualis necessitas ex ipso Theologiae fine censeri potest?*

Potest. Finis enim Theologiae est, ut temet ipsum, & eos, qui te audiunt, salutis reddas compotes. I. Tim.

14 DE THEOLOGIAE FINE.

[L.I.C.I.]

1. Tim. IV, 13, 14, 15, 16. quæ est *imago Dei*, instauranda in te & audientibus; hominem reducens ad ipsam cum Deo unionem, 2. Cor. III, 18. IV, 6. & tandem ad gloriam: 1. Cor. XIII, 12. hoc est, ad fidem, & vitam æternam. Joh. XX, 31.

Qv. 2. *Theologie an non etiam finis propositus est gloria & commoda hujus vita?*

Nullo modo. Tanta est gloria, tantum bonum vitae spiritualis, seu imaginis divinæ, ut terrestris honoris cupiditas nec in illius consortium venire possit, nec cum fide consistere. Joh. V, 44. Matth. VI, 22, 23, 24. 33, 34. Nec quisquam ipsius *Evangelii consors* fiet, nisi abnegationem excoluerit. 1. Cor. IX, 23. 2. Tim. II, 3, 4.

Ipsa *imago Dei* instauranda fundatur in *communione crucis Christi*, quam nisi quis omni ignorantia obnoxiam totus dilexerit, non Christi atque Apostolorum, sed Pseudapostolorum affecta est. 1. Cor. IV, 8, 9. &c. Gal. I, 10. VI, 12. 14. Phili. III, 18, 19.

Qv. 3. *Notitia Dei & Theologia quinam adversantur?*

Adversus notitiam & naturalem & revelatam miserrime lucentur *Deos*, quorum multiplex genus est. Ita sunt, qui nullum prorsus Numen agnoscunt. Ps. XIV. Item, qui admittunt aliquod Numen, h.e. ens supremum seu primum, sed quod non omnia regat; ut olim Epicurus: cum quibus congruunt, quorum mentio fit tanquam stultorum Ps. XCIV, 7, 8. &, qui Deos fictios loco veri Numinis colunt. Rom. I, 23. Gal. IV, 8. Eph. II, 12.

Qv. 4. *Quinam ceteri notitiae Dei & Theologia vera adversantur?*

(1) Qui

(1) Qui Deum verum quidem cognoscunt, at non, cuiusmodi se esse revelavit, sed qualem esse imaginantur. Joh. VII, 42. ut hodie *Judæi & Turcæ;* item *Anti-Trinitarii* omnes, & Filii æternam Deitatem negantes. (2) Qui Deum profitentur se scire, factis autem neganti. Tit. I, 16. quorum Deus venter est. Phil. III, 19. Rom. XVI, 18. & qui sunt *avari*, atque hoc modo *idololatæ*. Eph. V, 5. Col. III, 5. 2. Cor. IV, 4. (3) *Naturalismum* foventes, qui vel notitiam Dei naturalem, in omnium cordibus residuam, ad hoc, ut justificemur coram Ieo, sufficientem ex se esse; vel, internæ gratiæ donum haud necessarium, naturamque ex viribus connatis spiritualia capere aut præstare posse, statuunt. Rom. VIII, 7.

THESES MORALES.

TH. I.

Altera Theologiæ pars appellata est *Moralis*, à moribus erga Deum atque homines, non tam externis, quàm internis, utpote quos spirituales intendit fides atque efficit.

Qv. 1. *Quot sunt Theologiæ partes seu capita?*

Doctrina Christiana constat duobus capitibus; de *fide*, & de *charitate*, quæ est in Jesu Christo. 2. Tim. I, 13. conf. I. Thessal. III, 6.

Qv. 2. *Unde Moralis Theologia dicitur?*

A moribus, non tam externis, quàm internis, illorum fontibus, hoc est, animi affectibus, quos lex spiritualis sibi conformes requirit: Rom. VII, 14. VIII, 3, 4, 7, 13. nam *finis mandati est charitas ex*

puro

puro corde, & conscientia bona, & fide non facta.

I. Tim. I, 5.

Christus Matth. XXIII, 23. interiores illas virtutes dicit, quæ graviora sunt Legis, judicium & misericordiam & fidem; addens: *h.e.c oportet facere, & extera haud omittere.* Paulus *justitiam, bonitatem & veritatem* vocat, quæ fructus spiritus sunt. Eph. V, 9.

Qv. 3. *Eſtne & fides indolis practica seu moralis?*

Omnino: debet enim non facta & mortua, sed vera & viva esse, Jac. II, 20, 26. ita ut omnis spiritualis praxis ex fide incipiat, Rom. XIV, 23. nam lex per fidem non redditur inutilis, sed stabilitur. c. III, 31. conf. c. VIII, 2, 3, 4. *Mores, seu affectus boni, sunt vestigia fidei Abrahamiticæ.* c. IV, 12.

Th. II.

Morum seu affectuum spiritualitas Evangelica est cultus Dei verus, totius Theologiae finis. Quocirca Theologia Naturalis paedagogiam præbet remotiorem: Revelata assert propiorem paedagogiam ex Lege; ex Evangelio autem, ipsam adorationem in spiritu ac veritate, & regnum Dei.

Qv. 1. *Finis Theologiae nonne est imago Dei instauranda?*

Imago Dei est finis Theologiae; nempe ipsum *fidei opus*, ad quod referendi affectus hominis renati spirituales, hoc est, motus à Spiritu S. profecti, sensus atq; actus mentis & voluntatis circa Deum, ut rectè hic cognoscatur ac honoretur: in quibus consistit verus *cultus Dei*. Joh. IV, 24. VI, 29. 2.

Theſſ.

DE CULTU NATURALI. [L.I.C.I.] 17

Theſſ. I, 11. ſanctimonia Rom. VI, 22. pietas 1. Tim. IV, 8. Tit. I, 1. ut fides per charitatem fe exferat. Gal. V, 6.

Qv. 2. *Theologia naturalis quid affequitur de cultu Dei?*

Docet, hominis finem eſſe Deum, ad quem omnia ſint dirigenda, unicè colendum. Hinc ethni- ci inexcusabiles, qui Deū cognitum non glorificārunt ut Deum, nec gratias ipſi egerunt. Rom. I, 20, 21. Tradit autem Deum ut *creatorem naturae*, & auctorem legis, hominum mentibus implanta- tæ, de morib⁹ internis atque externis; utia cum jure Dei, quod, qui contrarium faciant, digni mor- te ſint. Rom. I, & II. Quæ eſt paedagogia remoior ad verum cultum Dei. Act. XIV, 17. XVII, 27.

Qv. 3. *Theologia naturalis quid non affequitur de cultu Dei?*

Ignorat, quod ipſe privationes intellectus & vo- luntatis, ipſe que concupiſcentiæ peccata ſint. Rom. VII, 14, 7. Gal. V, 24. Nescit item vires, ac virtutem veram, ad subigendos affectus pravos, bonosque excolandos; mediumque impetrandi. Eph. IV, 18. Rom. VIII, 7. conf. Bar. III, 20. &c.

Qv. 4. *Revelata quid docet?*

Detigit Theologie naturalis defectus illos, quod homo animalis nec cognoscere valeat, neque ef- ficere quicquam veri in spiritu alibus. 1. Cor. III, 14. Item principia actionum duo inter ſe oppofita, car- nem & spiritum. Gal. V, 17. legisque moralis spiritualitatem declarat. Rom. VII, 14. Matth. V. In quibus paedagogia propior ex Lege, & Evangelio latius dicto, ſita eſt,

B

Tum

18 DE THEOLOGIÆ REVELATÆ [L.I.C.I.]

Tum ex Evangelio, strictius sumto, exponit *vi-
res ac modum instaurandæ in nobis spiritualitatis,*
seu indolis divini spiritus: Rom. VI. & veritatem
actionum verè Christianarum, seu spiritualium,
ostendit fluere ex *regeneratione & renovatione* in
Jesu Christo; Joh. VIII. Rom. VIII. Eph. IV. ut cul-
tus existat *in spiritu ac veritate.* Joh. IV. 24.

Qv. 5. *Opus hoc regenerationis, seu veræ pénitentiae,*
quod necessariò requirit Theologia moralis in
auditore idoneo, estne tam horribile, ut
naturæ appareat?

Quandoquidem in regnum Dei non nisi *vi qua-
dam spiritus* perrumpitur, timor Domini à vehe-
mente lucta carnem inter & spiritum incipit,
Matth. XI. 12. donec fides evadat victoria de mun-
do. 1. Joh. V. 4. At verò hanc *divinam tristitiam* se-
quitur ex fide status regni Dei, *justitia & pax, &*
gaudium in Spiritu Sancto; ut, quicunq; in his ser-
vierit Christo, gratus ipsi Deo & probatus coram
hominibus sit. Rom. XIV. 17, 18. conf. Sirac. IV,
18, 19, 20, 21. L. I, 35.

Tantopere autem *necessaria* est interna isthac
mutatio spiritualis, ut sine ipsa nihil veri in The-
ologicis intelligi, præstari aut dispensari possit. 2.
Cor. II, 16. III, 5, 6. IV, 6.

TH. III.

Imago Dei instaurata, conservari & augeri
potest ac debet: medium est, reno-
vatio mentis quotidiana ad imitandum
Christum.

Qv. 1.

FINE ET MEDIIS. [L I.C.I.] 19

Qv. 1. *Imago Dei quatenus est finis Theologie moralis?*

Non præcise, quatenus illa instauranda est; nam *moralis* quæ dici solet Theologie pars, potius instauratam exigit ac dijudicat: tum verò ista propriè in eo versatur, ut *imago Dei* conservetur, augetur in dies, 2. Cor. IV, 16. Hebr. V, 12. 14.

Qv. 2. *Quodnam est medium conservandi atque augendi instauratam imaginem?*

Renovatio mentis: Rom. Xll, 2. 1. Pet. II, 2, 3. quæ consistit in continua tum *exuitione seu mortificatione veteris hominis*, hic cum suis membris Col. III, 5. & operationib⁹ v. 9. Rom. IIx, 13. nihi⁹ est aliud, quam amor sui & mundi, ex corruptione originali innat⁹, ex consuetudine inveterata auct⁹) tum *vivificatione ex spiritu vitae in Jesu Christo* per fidem, Rom. Vlll, 2. seu *inductione Christi c. Xlll, 14.* Quæ ipsa est innovatio veritatis & spiritus firmi, Pf. Ll, 12. ex Christo accepti per regenerationem. 1. Joh. V, 20. conf. Eph. IV, 20, 21, 22, 23, 24.

Qv. 3. *Quomodo ex hujusmodi renovationis cultit experimentalis conservatur & augetur imago Dei?*

Exinde *charitas*, cum cæteris virtutib⁹, magis ac magis redundat in *agnitione*, & *omni sensu spirituali*: atque hinc ~~domino~~ acquiritur, facultas probandi & dijudicandi quæ discrepant; ut voluntas Dei bona, accepta & perfecta cognoscatur & homo impleatur *justitiae fructibus*, qui per Jesum Christum verè existant in gloriam & laudem Dei. Phil.

B. 2. 19

I, 9, 10, 11. Rom, XII, 2. c. VII, 4, 5, 6. 1. Cor. II, 15.
conf. Rom. VI, 12. &c.

Qv. 4. *Quinam sunt fructus illi, per Jesum Christum existentes?*

Veræ virtutes, ab iis, quæ ex naturæ lumine *mora-*
les dicuntur, prorsus differentes. Nam natura-
les illæ apud hypocritas ex *coactione* quâdam na-
scuntur, quas Diabolus tolerat, carnis sensu domi-
nium retinente, sinitque ipsa Christi vestigia imi-
tari; sed eorum finis erit secundum opera ipsorum. 2.
Cor. XI, 13, 14, 15. Spirituales autem virtutes non
aliter à fidelibus producuntur, nisi per *Jesum Christum*; hoc est, ita, ut Jesus Christus *habitet in cordi- bus per fidem*, & ex mortis & resurrectionis suæ
communione *vires ad renovandam mentem sug- gerat intimè*, ut haec in *ipsius imaginem transfor- metur*, atque virtutes singulas. Eph. I, 19, 20. III, 17.
&c. 2. Cor. III, 18.

Qv. 5. *Quenam est differentia inter imitationem Christi apud hypocritas & veros fideles?*

Fideles veri non modo externam Christi virtutum speciem præ se ferunt, neque imitationem Christi interpretantur, quali & alios mortalium prosequi solemus; sed eam funditus diversam nô-
runt, utpote quæ fundamenti loco in hominibus requirit unum eundemque spiritum divinum, qui in Christo Jesu est, ut per ipsum Christum in nobis vir-
tutes Christo dignæ oriантur. Rom. VIII, 9. 11.
&c. 1. Cor. II, 12. 16.

Hinc etiam *virtutes Christianorum prime sunt, humilitas, patientia*; quæ à naturâ corruptâ mini-
mè agnoscantur. Matth. XI, 29.

AD

DE IMAGINE DEI. [L.I C.II.] 21.

AD TOTUM CAPUT

Conf. J. ARND. *de vero Christianismo.* Lib. I. c. VI.
XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.
XLII. Lib. II. c. IV. V. XVI. XXII. XXXIV. Lib. III.
c. II. X. XX. XXIII. Lib. IV. c. XXXIII. XL.

CAP. II.

De Imagine Dei, quam homo ex
prima creatione habuit, quatenus
in nobis instauranda.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Homo conditus est ad imaginem triunus Dei.

Qv. 1. *Quænam est analogia inter hominis instaura-
tionem ac primam creationem?*

Quemadmodum homo post lapsum instau-
randus est ad imaginem Dei, sic instauratio-
nitis hujus necessitas patet ex eo, quod
antelapsum *creatus est* adeandem imaginem. Quo-
circa ipsa instauratio, seu regeneratio, quæ fieri ex
corruptæ naturæ viribus nequit, dicitur *creatio
novi hominis secundum Deum*, Eph. IV, 24. Col. III,
1a. Ps. L, 12.

Qv. 2. *Conditum esse hominem ad Dei triunus
imaginem, quomodo probamus?*

Deum esse triunum, ex Scripturis alibi demon-
stra-

B 3

22 DE IMAGINIS DEI [L.I.C.II.]
stratur. Hoc posito, emphasin notamus pluralis numeri, quo Deus de se loquitur Gen. I, 26. *Faci-
mus hominem in imagine nostra, secundum simili-
dinem nostram.*

Qv. 3. *Imago Dei quid denotat?*

Conformatatem cum Deo, similitudinem DEI, Jac. III, 9. Dicitur enim non modo, *in imagine*, sed quoque apponitur, *ad similitudinem*: quam appositionem esse declarationem, liquet Gen. V, 1. 3. Conf. I. Cor. XV, 49. Col. III, 10.

TH. II.

Imago Dei, per lasum amissa, primariò sita erat in veritate, quā pollebant intellectus ac voluntas; sapientiā quippe, sanctitate & iustitia.

Qv. 1. *Homo post lapsum eratne ad imaginem
Dei adhuc conditus?*

Dicitur homo post ipsum lapsum quoque *ad imaginem Dei factus* Gen. IX, 6. Jac. III, 9. sed utroq; in textu de ea non agitur *sensu* aut *fine Theologico*, quo ordinem ad salutem æternam respicimus.

Quemadmodum homo constat spiritu & corpore, sic indita ei conformitas cum Deo consistebat partim in animali vita partim in vita spirituali. Ratione *vita animalis* imago Dei est, quod animam habemus immaterialem atque immortalem, valentem intellectu, voluntate & memoriā, ad dirigendos affectus & sensus ipsi⁹ etiam corporis: quā homo præfectus animalibus cæteris inferioribus. Quæ partes si in se spectantur, catenus imago Dei non

ECCLESIA SENSU PRIMARIO. [L.I.C. II.] 23
non amissa est, sed permanxit in naturâ humanâ, attamen imperfecta. Ratione autem vitæ spiritua-
lis, quæ est ipsius Dei, Eph. IV, 18. illamque anima-
lem gratia ac veritate in Protoplatis omni ex par-
te instruebat; deperdita est imago Dei tantope-
re, ut nunc ad instaurandam illam creatione novi
hominis sit opus. Eph. II, 10. IV, 24. Col. III, 10. Gal.
VI, 15. conf. Rom. III, 23. Proinde quod genitum est
ex carne, caro est: & quod genitum est ex spiritu, spi-
ritus est Joh. III, 6.

Qv. 2. *Imago Dei, per lapsum amissa, in quoniam
primariâ sua?*

Primò id ostendit Decalogus, quando ejus sen-
sum Dominus ipse his enarrat: *Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.*
Matth. XXII, 37. Inerant ergò hujomodi vires spi-
ritualis vitæ in homine, quib⁹ & animæ & cordis &
mentis facultates omnes intimè adhærerent Deo.

Deinde idem hoc edocet Paulus, imaginem Dei
renovandam esse urgens ita, ut ipsa consistat in a-
gnitione, sapientia affectiva. Col. III, 10. *justitia &*
sanctitatem ipsius veritatis, quatenus hæc opponitur
errori, cupiditatum scaturigini. Eph. IV, 24. 22. Ac-
cedit renovationis hujus explicatio 2. Cor. III, 18.
quod fideles in speculo quasi intuerantur gloriam Do-
mini, atq; in eandem imaginem ab ipso spiritu trans-
formenur ex gloria in gloriam. Gloria autem
Domini significat Dei attributa, sapientiam, san-
ctitatem, potentiam &c. in quæ quum verè cre-
dentes transformenrur, intelligimus, imaginem
Dei complecti omnes vires ac virtutes spirituales
atque ad eas exferendas necessaria hæc tria: inte-

24 [L.I.C.II.] DE IMAGINIS DEI [L.I.C.II.]

gritatem seu relictitudinem, efficaciam seu potentiam, & ipsum actum, vel agendi pronitatem: quæ universa complectitur vox una, veritas, nec non gloria Dei. Rom. III, 23. Theologi usitatè vocant *Justitiam originalem.*

Qv. 3. Quænam hinc erat conformitas cum Deo
in mente ac voluntate?

Intellexus plenus erat luce Dei. Pf. XXXVI, 10. Ioh. I, 5. 7. II, 8, 9. unctione apprehensionis, judicij & memorie, ut nosset omnia sine hæsitatione aut mendacio, v. 21. aut oblivione: nec tantum in divinis, verum etiam rebus aliis; naturas animalium ex sola inspectione cognoscens, ipsiusque creationis Evæ conditionem. Gen. II, 19. Quæ quidem scientia erat sapientia vera, dicta agnitus, ærthysmoris, eum sancto voluntatis affectu intimè conjuncta. Col. III, 10. Eph. IV, 13.

Nam voluntas hominis conformis fuit similitor Dei sanctitati & libertati in volendo ac nolendo, ut liberè & efficaciter in omne bonum ferretur, sine pronitate ad malum. Eccl. VII, 30. Motus voluntatis omnes ita sancti & justi erant, ut proficerentur ex veritate. Eph. IV, 24. Unde pax, inenarrabilis tranquillitas conscientiae, & gaudium in Spiritu S. Rom. XIV, 17.

Qv. 4. Notitia vera illa rerum naturalium eratne etiam originis divinæ?

Notitia rerum naturalium prima originis planè spiritualis erat: cuius defectus, tam in humaniis, quam divinis, scientiam, quæ citra eam superest, potius ignorantiam esse, prodit. Joh III, 8. Sap IX, 10. Confuc. I. Th. III. Qv. 5.

Qv. 5. Ad hanc justitiam originalem, veritatem & gloriā Dei, relucentem in Adamo, anno & inferiorum facultatum habitudo referenda est?

Inferiores facultates affectuum, sensuum internorum atque externorum, & membrorum corporis, & superioribus, quae mentis ac cordis sunt, disjungi nequeunt. Itaque has inter & illas justissima erat consensio, sine ulla carnis & spiritus lucta aut rebellione, & appetitus sensitivus recte rationi & voluntati, sine omni tarditate aut inordinata motu, perfectè subiectus. Hinc sanctitas illa erga Deum & semet ipsum, ut nec nudi erubescerent; Gen. II, 25. & justitia, unius erga alterum; in toto homine conformitas cum Dei castitate, puritate & simplicitate. Totum hominem fecerat Deus rectum, nec evagante ullo modo. Eccl. VII, 29. Conf. I. Cor. XIII, 4. &c. 2. Cor. XI, 3.

Qv. 6. Cur dicitur in sanctitate illa & justitia primario consistere imago Dei?

Quoniam veritatis ejus instauratio ad vitam eternam consequendam est necessaria, ne peccatum amplius dominetur in homine. Rom. VI, 6. 12. 14. Gal. V, 6. quam ob causam ejusdem solummodo mentionem facit Scriptura Sacra, ubi de salutis ordine agit. Ps. XVII, 15.

TH. III.

Imago Dei, per lapsum amissa, secundario sita erat in perfectionibus vita animalis, cum immortalitate, & domi-

26 DE IMAGINIS DEI L.I,C.ll.]
nio in terrestres creaturus, bonitate sua tum pa-
riter gaudentes, plenario.

Qv. 1. *Animalis vita in homine an non ejusdem fuit
conditionis ante lapsum, atque nunc est?*

Neutquam. *Caro & sanguis, ea infirmitate, quā
jam laborant, non possunt regni Dei hæreditatem
consequi, neque corruptio consequi incorrupte natu-
ræ hæreditatem.* 1. Cor. XV, 50. homo autem con-
ditus in statu incorrupto, ēi ἀθανατία. Sap. II, 23.
conf. 1. Cor. XV, 42. Eph. VI, 24. corruptio enim
ex prava concupiscentia est. Eph. IV, 22, 24. 2. Pet.
I, 4.

Status ille, iimperfectionum naturalium expers,
summisque naturæ perfectionibus illustris, origi-
nem ducebat ac constantiam in vita hominis ani-
mali ex spiritualis vitæ præsidio; quo penitus de-
structo per lapsum, illicet cessabat integritas, ut i-
psi *Protoplasti* in se animadverterent mutationem,
miseriæ ac pudoris plenam. Gen. III, 7.

Qv. 2. *Quo sensu primus homo immortalis
fuit?*

Mors non à Deo, sed poena peccati est. Gen. III,
19. Rom. V, 12. VI, 23. idem patet ex liberatione
per Christū. Rom. II, X, 2, 21. Conditus ideo Adam
est immortalis. Sap. II, 23. ut eo in statu, quo crea-
tus, nec posset mori. Neque enim erat, quod time-
ret mortem Eva, nisi ex peccati interventu. Gen.
III, 3. Quod ergo contraxerit mortem homo, &
contrahere potuerit, tantum ex ipsius culpa ori-
batur. Ita suo sensu rectè dicuntur hæc tria: *Non
paterat mori; paterat mori; poterat non-mori;* quem-
admo-

SENSU SECUNDARIO. [L. I. C. II.] 27

admodum poterat non peccare. Neque adeo ullis calamitatibus fuit obnoxius, quæ mortis sunt fructus: ut nudus sine incommodo esset: Gen. II, 25. sine molestiâ imperaret creaturis omnibus. Gen. I, 28.

Vita spiritualis est scaturigo immortalitatis: illâ deperditâ, simul hæc amissa est. Rom. VIII, 6.

Qv. 3. Quænam est ratio d. minii humani in terrestres creatureas?

Hominem inter & reliquias terrestres creatureas certam ordinavit Deus relationem dominii, eandemque confirmavit benedictione. Gen. I, 26. 28. Creature omnes erant bonæ. Gen. I, 31. nec ulla perversitati aut calamitati obnoxia, donec Adamus suo lapsu maledictionem terræ, omnique creature, quæ cum ipso condita est, propter se inferret. Gen. III, 17. Rom. II X, 20. Ex quo simul intelligitur, ante lapsum fuisse dominium illud plenarium, & ipsum tamen obsequium libertatis etiam plenum, sine vanitatis aut corruptiōnis servitute, Rom. II X, 20, 21. & sine labore ac sudore utrumvis. Gen. III, 19.

TH. IV.

Imago ista Dei, per lapsum amissa, sicut homini prorsus naturalis: ut non solum defectus integritatis virium nullus antecesserit, sed etiam privatio ejus ipsa mors spiritualis sit, mortisque animalis seu temporalis initium.

Qv. 1. Estne vita spiritualis vita animali superaddita?

Vitam animale in tempore non priorem spirituali exti-

extitisse, testatur Scriptura Gen. II, 7. Primo enim formavit Deus hominem pulverem de terra: deinde inspiravit in nares ejus spiraculum vitarum. Ante hanc inspirationem de Adamo quum nihil fuerit nisi pulvis, ea utramque vitam attulit; quo uno creationis actu constitutus homo est in imagine Dei. Gen. I, 27.

Qv. 2. Quo sensu ergo non fuit homini supernaturalis ante lapsum vita spiritualis?

Supernaturalia sunt, quæ non de natura hominis sunt, sed ad imperfectionem hujus supplemandam superadduntur: quemadmodum nunc spiritualia corruptæ naturæ dicuntur supernaturalia. Quando autem initio natura humana valde bona fuit iudicio ipsius Dei, certè illa ex se non laboravit ignorantia de rebus cognitu necessariis, aut proclivitate ad malum, aut ulla imperfectione aliâ. Gen. I, 31.

Qv. 3. An verò non eatenus faltem supernaturalis fuit Adamo spiritus divinus, ut citra hunc potuerit natura esse integra?

Non potuit natura sine spiritu Dei esse integrâ, sed ipsi & eo sensu hic naturalis fuit. Nam ejus privatio corruptionem & mortem ipsam homini intulit, non tantum spiritualem, sed & radicale exordium ipsius animalis; ut testantur insecura passibilis ægritudinis mala omnia, naturam ad necem disponentia: per quæ vita vitalis non est. Gen. II, 17. III, 16, 17, 18, 19.

TH. V.

Caussa, & efficiens & finalis, imaginis di-

supervincere erat unio & communio Dei cum hominē intima, & hominis cum Deo liberaria.

Qv. 1. Tanta conformitatis cum Deo unde origo est?

Fons & origo imaginis Dei est unio ac communio Dei cum hominē intima, quando ex inspiratione primū factā influxus & communicatio mansit perpetua omnis divinæ plenitudinis: Gen. II, 7. Eph. III, 19. & adhærens Deo unicè, homo, unus cum ipso fatus est spiritus. I. Cor. VI, 17.

Qv. 2. Quisnam finis proximus ejusdem imaginis?

Ut homo eādem unione & communione beatissimā constanter uteretur ac frueretur: id quod docet intentio & benedictio, quā ipsum Deus condidit ac confirmavit; Gen. I, 26. 28, nec non subiuncta prohibitio, Gen. II, 17.

Qv. 3. Num igitur homo integer ex necessitate adhærebat Deo?

Minime; sed ex plena libertate: quæ divinæ imaginis apex & corona erat, præfecta cæteris facultatibus universis, hominemque præstibat Dei quā simillimum. Nam cum ipso præcepto illa relinquebatur: ut homo posset alimentis vesci, motu his, medo illis; de prohibita autem arbore edere, & non edere. Gen. II, 17. similiter in denominandis animalibus, ut ea pro lubitu appellaret, v. 19.

Qv. 4. Poteratne ergo homo persistare in imagine Dei?

Poterat omnino, ex virium divinarum affluentia; quam non cessaturam, volente homine, ipsa pro-

30 DE IMAGINIS DEI AMISSIBILITATE. [L. I. C. II.]
prohibitio satis innuit: Gen. II, 17; confirmatque
exemplum Evæ, non aliter prohibitionem inter-
pretantis. c. III, 3.

Qv. 5. Unde est, quod amitti potuerit
eadem?

In natura humana haud ulla peccandi potentia
inerat; verum, quæ exorta est apud hominem, ex
libertatis abusu voluntario nascebatur. Quum
Deus considerit hominem rectum, ipsi quæsive-
runt cogitationes devias. Eccl. VII, 29.

TH. VI.

Filius Dei, æterna Patris imago propter divinam
naturam; idemque homo factus, Deum inter
& homines secundum utramque mediator, a-
missam imaginem Dei redemit ac restituit in
assunta humanitate perfectissimam; eandem-
que, mediante carnis suæ spiritu vivifico, in
hominibus instaurat.

Qv. 1. Filius Dei quo sensu dicitur imago
Dei?

Ipse est ab æterno secundum naturam divi-
nam imago Patris sui: effulgentia divinae glorie, &
character ipsis personæ Patris. Heb. I, 3. Deinde
humanam assumens naturam, mansit in sinu patris,
tanquam imago ejus: Joh. I, 18. atque hinc con-
formitate Dei humanitatem sic collustravit, ut
in hac ipse esset visibilis imago Dei invisibilis. 20
Cor. IV, 4. Coloss. I, 15. Joh. XIV, 9.

Qv. 2.

DE IMAGINIS DEI RESTITUTIONE. [L. I. C. II.] 31

Qv. 2. *Quomodo imaginem Dei nobis restituit Christus?*

Filius Dei CHRISTUS dicitur, quod in ipso natura humana fuerit uncta affluxu imaginis Dei; quam ille externis etiam & verbis & factis expressit atque exhibuit integerrimam. Acto. X, 38. Neque vero ad mensuram dedit ipsi Deus spiritum, sed eis in manum dedit omnia. Joh. III, 34, 35. ut ex plenitudine ipsius omnes acciperemus, & gratiam pro gratia, gratiam nempe & veritatem. c. l, 16, 17. Itaque longe perfectior in altero Adamo, quam in primo, fuit imago Dei: quæ redundantia gratiæ & doni justitiae demonstratur Rom. V, 14. &c.

Hanc gratiam & veritatem ut nos recipere Rom. V, 17. possemus, idem Christus promeruit in exinanitionis atque exaltationis statu; simul commonistrans viam, qua nos intuentes in ipsius imaginem transformari oporteat. 2. Cor. III, 18.

Qv. 3. *Quomodo Christus per humanam suam naturam instaurat in nobis imaginem Dei?*

Secundum utramque naturam mediator reconciliavit nos Deo, atque etiam sanctificat. Quemadmodum autem humana Christi natura, ad redimentam nobis imaginem Dei, exinanita atq; exaltata est; sic etiam confertur nobis natura divina, seu hujus imago, h. e. spiritualis vita in nobis instauratur, mediante illâ, ut edamus carnem, & bibamus sanguinem Christi. Joh. VI, 53. quæ verba intelligenda sunt de spiritu carnis Christi vivificante.

V. 63.

v. 63. Ita verò si Christus in homine vivit, tum demum hic intueri verè potest in imaginem ipsius; & in ejusdem virtutes transformari. Gal. II, 20.

TH. VII.

Inter imaginem Dei in hac vita, sive ante sive post lapsum gratiosam, & gloriosam beatorum in cœlis, ea versatur analogia, ut utraque unius ejusdemque sit naturæ, nec lumen gratiæ à gloriæ lumine in re ipsâ differat, sed tantum ratione modi ac gradiuum.

Qv. 1. Quidnam est discriminis inter imaginem Dei ante lapsum, & post lapsum in homine instauratam per Christum?

Utraque nihil aliud est, quam lux & vita spiritualis, sed eo cum discriminare, ut ante lapsum illa se potuerit pleno lumine & efficacia in viribus humanis exercere. Post lapsum autem instaurata, dominatur quidem in fideliūm facultatibus animi & corporis, verum originalis peccati nebulis impeditur. Abscondita proinde est cum Christo in Deo, qui in membris suis ipsa vita & imago Dei per spiritum fidei existit, donec cum ipso aliquando patiant in gloria. Col. III, 3, 4. 2. Cor. XIII, 5. Gal. II, 20. 2. Cor. III, 18. IV, 13. conf. qu. 3.

Qv. 2. Estne autem haec imago Dei, seu lumen gratiæ, vera Dei visio?

Est omnino. Etiam si enim non à facie ad faciem nunc

nunc cernamus, videmus tamen per speculum in ænigmate. 1. Cor. XIII 12. Quam visionem, accensæ atque ardoris fidei, veram esse, discimus Joh. XLV, 9. 17. 1. Joh. III, 6. Ubi de impiis negatur, quod Deū videant, affirmatur autem de verè credentibus.

Hi experiuntur in Spiritu ac veritate, reiecta quasi facie, imaginem ac gloriam Domini, secundum attributorum divinorum effectus, misericordiam, potentiam, sanctitatem &c. 2. Cor. III, 18. conf. Coloss. III, 10. 12. Atq; ita irrumpe[n]te efficaciter in ipsorum corda lumine cognitionis gloriae Dei in facie Iesu Christi, 2. Cor. IV, 6. oculi mentis eorum illuminantur ad cernendam lucem, atque in eandem imaginem affectu ipso transformantur. Psal. XXXVI, 10. 2. Pet. I, 19. Col. III, 10. 12.

Qv. 3. Si tamen eadem est imago Dei ac lumen sub gratiâ & sub gloriâ, quidnam hîc datur discriminis?

Quod imago Dei ex lumine gloriae longè excellenter futura est, consistit in modo & gradibus; quibus Christus, tanquam vita ipsa in fidelibus tanquam membris suis, sublato peccati originalis obstaculo, patefiet. Ps. XVII, 15. Col. III, 3, 4. 2. Thess. I, 10. 1. Cor. XV, 49. 54. 1. Joh. III, 2.

Idem verò esse in radice ac re ipsâ lumen gratiæ & gloriae, eandem vitam spiritualem atque imaginem, ex loco adducto Coloss. III, 3, 4. clarum fit; ubi eadem vita, quæ hîc abscondita est, proditura affirmatur gloriosa: & Joh. IV, 14. cùm dicitur fons aquæ salientis in vitam æternam, quæ est ipsa fidei agnitus: Joh. XVII, 3. estque in fidelibus duran-

34 DE IMAGINIS DEI [L.I.C.ll.]
tibus manens. 1. Joh. III, 15. Eph. II, 5, 6. IV, 18. 1.
Joh. V, 11-13. 20.

Qv. 4. *Quid ergo post Iapsum est imago Dei in fidelibus?*

Est lux spiritualis, quā humanae naturae vires, ad similitudinem Dei conditae, secundū agnitionem proprietatum divinarum, in Christo, efficaciter innovantur ad sanctitatem; ut homo in supernaturalibus animae habitibus, & actionibus inde oriundis, similior Domino, atque ita gloriosior, ac beatior paulatim reddatur. Gen. I, 27. Col. III, 10. 12. Eph. IV, 24. 2. Cor. III, 18.

TH. VIII.

Instauratio imaginis divinæ inhæsiva, vitam æternam consecuturis, necessaria est.

Qv. 1. *Quomodo probamus, imaginem Dei in hominibus beandis necessariò instaurandam esse?*

Instauratio imaginis Dei *inhæsiva* est ipsa regeneration, sine quā nemo nec videre nec intrare potest regnum Dei: Joh. III, 3. 5. *sanc&ificatio*, sine quā nemo videbit Dominum. Heb. XII, 14. Instaurata imago Dei est *spiritus Christi*, sine quo nemo Christi est, Rom. VIII, 9. nec datur vivificatio spirituialis, neque resurrectio ad vitam æternam; v. 11. *spiritus fidei*. 2. Cor. IV, 13, 14.

Necessitas tanta est, ut in Christo nihil valeat, nisi nova hæc *creatura*; nec quisquam pacis aut misericordiae fiat particeps, nisi istum *canonem* sequatur. Gal. VI, 15, 16.

Qv. 2.

Qv. q. 2. *Hæc vero necessitas an non meritoriam vitæ
eternæ caussam sanctificationi tribuit?*

Nullo modo. Est enim *necessitas*, non *causæ meritoriae*, sed *ordinis*, & *conditionis subjæcti*: natura sanari aliter non potest, nisi ut recipiat *vitam Dei* in mente ac corde. Eph. IV, 18.

THESES MORALES.

TH. I.

Christianorum omne officium consistit in eo, ut imaginem Dei intra se instaurent.

Qv. i. *Quenam est analogia inter nomen Christianorum & imaginem Dei?*

Christiani sunt uncti, unctionis Spiritus S. in Christo facti participes. 1. Joh. II, 27. Hæc vero unctione est ipsa instauratio imaginis Dei, seu lumen illud gratiæ. Conf. suprà Th. Doct. VI. qu. 2. & VII. qu. 2.

Qu. 2. *An verò omne officium Christianorum dici potest consistere in imagine Dei instauranda?*

Tantopere natura est depravata, ut nulla actio fieri possit in gloriam Dei, nisi ex interiore mentis renovatione. Rom. XII, 2. Itaque omne opus bonum intra hominem nihil est aliud, quam animi transformatio in imaginem Christi. 2. Cor. III, 18.

TH. II.

Quum imago Dei oriatur ex visione efficacis fidei, quod fidelius hæc conservatur atque augetur, eo magis in re-

C 2 nova-

novationis exercitio ipsa infirmitatis peccata minuuntur.

Qv. 1. *Defectus officiorum Christianismi, seu peccata, unde oriuntur?*

Omne Christianismi negotium verum est spirituale, situm in eo, ut virtus fidei constans sit circa res omnes; h. e. ut influxus radiorum gloriæ divinæ, (conf. Th. Doct. VII. qu. 2. memb. 2.) quem fides accipit, haud impediatur, sed animo fidelis semper recipiatur ex facie, seu communione, Jesu Christi, 2. Cor. III, 18. IV, 6. Namque ex receptâ hâc luce fit, ut videamus lucem in rebus omnibus. Psal XXXVI, 10. Eâ deficiente, existunt defectus officiorum variis: cessante, peccatum oritur voluntarium ac mortale. 2. Cor. IV, 4. Luc. XI, 34, 35.

Qv. 2. *Quomodo infirmitatis peccata ex hoc fundamento possunt minui?*

Si apud renatum efficax Dei agnitus augetur, non possunt non minui peccata infirmitatis. *Omnis, qui proptereticè peccans est, non vidi Deum, neque agnoscit Deum.* 1. Joh. III, 6. Ergò qui Deum in lumine gratiæ videns agnoscit, quod magis est talis, eò minus & involuntarias aberrationes admittit. 1. Joh. V, 18. 2. Joh. V, 8. 2. Cor. VII, 1. conf. Joh. XV, 2. 1. Joh. I, 9. III, 3.

Qv. 3. *Instaurata imago Dei num in hac vita augeri potest?*

Omnino transformantur fideles in imaginem Christi à gloria in gloriam. 2. Cor. III, 18. conf. c. 1. Thes. Moral. III, qu. 2. & 3.

TU.

Majestas Dei, quæ àlias peccatoribus vel intollerabilis est, vel hypocriticè apparet conciliata ; hisce, qui justo ordine in Christo imagine Dei fruuntur, eò magis objectum fit amabile, quò constantius in facie Christi renovationem excolunt.

Qv. 1. Peccatores impénitentes quo animo sunt erga Dei majestatem?

Hujus rei figura est in Mosis facie, quam tolerare non poterant intuentes : licet enim absentes eam sibi persuaderent tolerabilem, præsentes tamen contrarium experiebantur. 2. Cor. III, 7. conf. Luc. V, 8.

Figura etiam est in matrimonio, quod cum alio viro non legitimum existit, quām diu maritus prior supereft : nam similiter, lege peccati adhuc intrus dominante, applicatio meriti Christi non nisi hypocritica est. Rom. VII, 3, 4, 5.

Qu. 2. Peccatoribus verè pénitentibus an tolerabilis est majestas Dei?

Majestas Dei peccatoribus adeò tremenda est, ut illi ex humanis viribus nihil ejus ferre queant : id quod pariter ostendit fuga Israëitarum ad vocem Dei. Exod. XX, 18, 19. Vera autem pénitentia, quum oculos à facie Mosis ad Christi faciem convertat, hujus morte ac resurrectione legem peccati, & judicialiter coram Deo, & efficaciter intra hominem interimit, ut Christus vir legitimus fiat, gratiaque & veritas divina restituatur simul &

133 DE IMAGINIS DEI EFFICACIA. [L. I. C. II.]

recipiatur prorsus amabilis. Conf. cum Rom. VII,
3,4,5,6. 2 Cor. III, 13. &c. IV, 3,4,6.

Qv. 3. *Fiducia illa fidei lumen & familiaritas erga Deum quomodo augenda est?*

In Christo Jesu maiestatis divinæ radios renati experiuntur jucundissimos, iisq; non amplius offenduntur, sed contrâ alliciuntur magis magisque ad παρ' ἑργοῖς & πληροφορίαις. Hebr. IV, 16. X, 22. Quæ quidem gratia vires majores sensim assert, si ex Evangelicis promissionibus amoris divini, & reliquorum attributorum, splendorem admiremur, fideiq; ac precium exercitio imbibamus. 1. Pet. II, 9. 2. Pet. I, 3, 4.

Fit autem ex hominis corruptione, ut hujusmodi renovatio excoli nequeat, nisi ex efficaci Christi vulnerum communione crucifixio carnis semper removeat obstacula, quæ aliqui recipiendam Christi gloriosi faciem impediunt. Gal. IV, 19. Eph. IV, 22, 23, 24. Coloss. III, 5, 8. 10.

Qv. 4. *Quenam ergo est affinitas seu analogia, inter doctrinas de Imagine Dei & de Renovatione?*

Ipsa Renovatio, sive latius spectetur in Conversione, sive post Justificationem strictius, in ipsa imagine Dei instaurandâ, seu renovandâ, occupatur. Quamobrem & suprà è Scripturæ Locis de Renovatione agentibus docetur imago Dei, & in doctrina de Conversione & Renovatione, ad ea, quæ ad imaginem Dei pertinent, respiciendum meritò est.

AD TOTUM CAPUT.

Conf. Joh. ARND *de vero Christianismo*. Lib. I. c. I. III. XLI. XLII. Lib. II. c. VI. XI. XIII. XIV. LVI. Lib. III. c. IV. VI. X. XI. XIV. XV. Lib. IV. Part. II. cap. IV. V. X. XXIII. XXX. XXXI. XXXIX. XII.

CAP.

CAP. III.

De Lapsu Protoplastorum, & Pec-
cati caussâ.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Lapsus originalis peccatum, quo imago Dei amissa est, consistebat in amore sui inordinato atq; infidelitate erga Deum: cuius peccati signum erat motus & actus tangendi ac comedendi externus.

Qv. 1. *Imago Dei quomodo amissa est?*

Imago Dei amissa est transgressione legis divinæ. 1. Tim. II, 14. Gen. II, 17. III, 11. 17. Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervasit. Rom. V, 12. quæ est ipsa imaginis Dei privatio, quatenus mors præcipue spiritualis sumitur. Eph. II, 1, 2, 3, 4, 5.

Qv. 2. *Lapsus Protoplastorum nonne in eo con-
sistebat, quod comederent de fructu ar-
boris vetitæ?*

Omnino quidem: Gen. II, 17. III, 11. sed actus ille manducandi est partim *internus*, partim *externus*. Ad persuasionem pravam accedebat demum appetitus sensitivi commotio, formabatque externum actum, tanquam *signum commissi lapsus inter-
ni*. Gen. III, 6.

C 4

Qv. 3.

40 DE LAPSU PROTOPLASTORUM. [L.I.C.III.]

Qv.3. *Lapsus originalis quā factus serie est intra animum?*

Docet hoc Paulus 2. Cor. XI, 2, 3. *Serpens Evans seduxit calliditate suā, ut sensus mentis corrumperentur à simplicitate, anteā in ipsum Deum unicē directā.* Quam infidelitatem ortam esse ex parte voluntatis ab amore sui inordinato, liquet ex persuasione Diaboli, ad ambitionem irritante, quā tentabatur affectus hominis adversus Legis auctorem. Gen. III, 5. Sic veritate expulsā, dubitando, renitendo, emergebat mendacium, error. ibid. v. 6. Eph. IV, 22, 24.

TH. II.

Deus nullo modo est causa autorve peccati, nec potentiam occasionemve ad peccandum suggestit.

Qv. 1. *Quibus dictis aut rationibus probatur, quod Deus peccati non causa auctiorve sit?*

Deus non creavit peccatum. Gen. I, 31. conf. Sap. I, 13, 14. non habet, non efficit. I. Joh. I, 5. Jacob. I, 17. nec vult, aut approbat illud, verū odit ac punxit. Ps. V, 5. VII, 12. &c. II, 5. (tolerans id ipsum non sine iustitiae documentis efficacibus, Ps. L, 16, 21, 22. & relinquens pœnitentiæ locum.) nedum impellit quenquam ad peccandum. Jac. I, 13.

Qv. 2. *Annon Deus potentiam peccandi condidit in hominē?*

Nullo modo. Deus condidit hominem non aliter, quām rectum; sed hic ipse quæsivit peccandi viam cogitationibꝫ multis. Eccl. VII, 30. Potentia autem

DE MALI ORIGINE. [L.I, C.III] 41

tem malum quærendi sita est in abusu libertatis voluntario. Gen. IV, 7.

Qv. 3. Annon Deus suggessit occasionem ad peccandum?

Nullo modo. Occasio probandi obsequii, quam unā cum viribus sufficientibus præbuit Deus, ex ipsius intentione haud fuit peccandi occasio: nam, ad hanc evitandam, interdictum comminatorium addebatur. Gen. II, 17. Conf. Sir. X, 21. XV, 11-14-21.

TH. III.

Deus nunquam vult mala: sed, quum homo ex se nihil valeat boni, ad hoc præstandum ille potentiam offert, sic tamen, ut nec libertatem adimat.

Qv. 1. Testaturne Deus, se nunquam velle malum?

Testatur Deus, se non mutari. Malach. III, 6
Apud ipsum Patrem lumen non est transmutatio, aut inversionis obumbratio. Jac. I, 17. Expandit manus suas toto die ad populum rebellem, qui ambulant via non bona, post cogitationes suas. Rom. X, 21. Ef. LXV, 2. Conf. c. LXVI, 4.

Qv. 2. Unde autem malum apud hominem, qui creatus bonus?

Homo quidem creatus bonus est, sed ex se nihil prorsus habuit. Quod ergo boni gerebat ex creatione, idem poterat deserere; siquidem potentia ad bonum unā cum libertate utebatur. Deus nec nuditatem aperuit homini, sed hic ultrò contraxit malum. Gen. III, 11.

C 5

Homo

Homo cùm solus esse voluit, judicium ejus, sibi reliqui, factum est non verum. Joh. VIII, 16. 29. XVI, 32.

Qv. 3. Cur verò libertas ipsi concessa est?

Libertas homini sublimitatem imaginis Dei ostendebat; nec non simul, quod nihil ex se esset, neque ex se posset operari quidquam, nisi incidere in malum. Quam conditionem instaurari in reatis, observatur Jacob, I, 9, 10.

TH. IV.

Deus permittens malum, in eo consensum nullum, sed judicium exserit.

Qv. 1. Quod Deus circa malum non versetur alter, quam permittendo, quibus Scripturæ dicitis probatur?

Sunt quidem loca in Scripturis, quorum verbis aliquid causæ tribui Deo circa malum videretur: sed, hunc eorum sensum neutiquam esse, facile agnoscitur ex re ipsa & locis parallelis. Rom. I, 28. dicitur Deus tradidisse gentes in mentem judicii expertem: intelligi autem permissionem, idem Paulus edocet Act. XIV, 16. scribens, Deum permisisse omnes gentes suis ipsarum viis incedere. Matth. VI, 13. orare jubemur: ne inducas nos in temptationem: verum interpres Jacobus 5. Nemo, ait, cùm tentatur, dicat, se à Deo tentari; sed unusquisque tentatur à propria concupiscentia. c. I, 14. & Paulus. I. cor. X, 13. Deus tam fidelis, qui nec finat tentari supra vires.

Tanta Dei fidelitas, ut ipse non nisi ad bonum tentet. Jac. I, 13. cuiusmodi bona tentatio atque innoxia erat, qua Protoplasti præcepto submittebantur,

DE PERMISSIONE DEI. [L.I.C.III.] 43

tur; quæ autem accedebat mala, à Diabolo profecta est Potuisit ergo, ut Abrahamo, perstanti in fide, ita & ipsis illa cedere in bonum. Gen. XXII, 12. *Malum* verò Deus non nisi permittit.

Qv. 2. *Hec permisso divina an non voluntatem atq;
confensum præse fert?*

Non est quidem permisso sine voluntate: at, voluntas permittens, nec apud homines semper in rem malam consentit, 2. Sam. XVIII, 23. 2. Reg. II, 17. nunquam certè apud Deum. Deus namque permittens aliquid pravi, non vult peccatum, sed si nem vult alium; Gen. L. 20. videlicet vel pænitentiam, Rom. II, 4. vel hac contenta, ostendere iram & notam facere potentiam suam. Rom. IX, 22.

Malum hoc pæne Deus non vult primariò, neque ex corde: Ezech. XXXIII, 11. Thren. Jer. III, 33. sed tantum ex necessitate justitiae immutabilis. Joh. III, 17, 18. 36. multò minus ergo vult malum culpe ullo modo; utpote quod acerrimè punit in proprio filio, tametsi alienum. Rom. VIII, 32.

Qv. 3. *Cur autem Scriptura illis verbis hac de re utitur, quæ aliquid causæ videntur indicare?*

Neque hoc frustra fit, quando v. c. scriptum est, quod indiret Deus, quem vult. Rom. IX, 18. Domini furor incitavit Davidem, ut numeraret populum. 2. Sam. XXIV, 1. Quemadmodum enim locus posterior 1. Paral. XXII, 1. explicatur: consurrexit Satan contra Iſraël, & incitavit Davidem: (sicut & apud Jobum c. I, 21. Dominus abſtulisse dicitur) sic & dicta familia; ut Ps. CXLI, 4. &c. significant, quod Deus non modo permittat malum fieri, sed & tan-

quam

44 DE PERMISSIONE JUDICIALI. [L.I.C.III.]

quam *Judex aetum justitiae punitivum exserat*, ut permisso sit poena praecedentium peccatorum. Ita induratio non est à Deo, ut res mala; est autem à Deo, ut peccatorum poena.

Qv. 4. *Quenam merentur istam vindictam divinam?*

Contemnus, vel paedagogiae legis naturalis, Rom. I, 18. &c. vel spiritus & verbi revelati. Gen. VI, 3. Ps. LXXXI, 11, 12, 13.

Qv. 5. *Quomodo de his punire Deus solet?*

(I) *Deserendo, & subtrahendo gratiae efficaciam.* Ps. LXXXI, 11, 12, 13. 1 Sam. XV, 26. ut relinquatur homo corruptioni suæ. Eph. IV, 17, 18. (II) *Tradendo atque mittendo, ut tradantur cupiditatibus cordium suorum peccatores,* Ps. LXIX, 28, 29. Rom. I, 24, 27. & semet ipsos dedit proterviæ; Eph. IV, 19. sintque peccata poenæ peccatorum: tum vero & Satanæ, tanquam executori divinæ justitiae; 1. Cor. V, 5. patri mendacii, Joh. VIII, 44. efficaci in iis, qui negligunt fidem. Eph. II, 2, 2. Cor. IV, 4. Unde & (III) *missio efficacie erroris, ut deserti credant mendacio.* 2. Thess. II, 11. 1. Reg. XXII, 20, 21. Rom. XI, 8.

Ex hoc fundamento intelligenda est sexta *Orationis Dominicæ petitio, & doctrina de gradibus Tentationis, Indurationis, Occæcationis.*

T. H. V.

Causa peccati est voluntas Diaboli & hominis.

Qv. 1. *Quenam est prima peccati causa?*

Diabolus, qui in veritate non stetit, estque pater mendacii. Joh. VIII, 44.

Qv. 2.

DE CAUSSA PECCATI. [L.I.C.III.] 45

Qv. 2. Quam ob caussam Diabolus in Scripturis
Serpens appellatur?

Non solum quod serpentem est mentitus; sed quoque ob astutiam & veneni spiritualis indolem, quam corrupit sensus Protoplastorum. Gen. III, 1, 2. 2. Cor. XI, 3. 1. Tim. II, 14. Nominatur hinc *serpens antiquus & draco magnus*, Ap. XII, 7. 9. XX, 2. spiritusque ejus asseclæ, *serpentes & scorpiones*: Luc. X, 19, 20. similiter & homines, peccato contumaciter dediti, *progenies viperarum atque serpentes*, Matth. III, 7. XXIII, 33. qui dicuntur esse ex diabolo, utpote qui ab initio peccavit; 1. Joh. III, 8. peccatum vero ipsum, *venenum aspidum*. Ps. CXL, 4. Rom. III, 13.

Qv. 3. Quenam est altera peccati caussa?

Fraude Satanæ factum, ut homo altera sit peccati caussa: mulier seducta in transgressione fuit, perque hanc Adamus. 1. Tim. II, 14. Sic per unum hominem peccatum introiit in mundum. Rom. V, 12.

Qv. 4. Cur autem voluntas utriusque dicitur esse
caussa peccatorum?

(I) *Intellectus*, imagine Dei collustratus adhuc, mendacio primo, id est, Satanæ, & verbo ejus, non credidisset temere, nisi hic prius voluntatem hominis affectione pravâ traxisset. Capta enim callidè est primùm Eva amore sui, ad honorem Dei captandum, atque hinc dubitandum de verbo Dei, & fidem serpenti habendam. Gen. III, 1, 2, 3, 4, 5. (II) Corruptionem Protoplastis inferre nullo potuisset modo Satanas, nisi in consensu pertraxisset hominis voluntatem, duxissetque ita hanc captivam. Gen. IV, 7. Heb. II, 15. III, 13.

Qv. 5.

Qv. 5. Ex duplice illa peccati caussâ quot hostes
spirituales recensemus?

Tres: *Diabolum, Carnem & Mundum*; quorum posteriores duo sub voluntate hominis, respectu diverso, comprehenduntur. De utroque hoc agitur. I. Joh. II, 15, 16. ubi distinguit Apostolus mundum ab iis, quae in mundo sunt. conf. I. Joh. V, 19. Quæ in mundo esse dicuntur, ad carnem pertinent: nempe cupiditas carnis, respiciens voluptates; cupiditas oculorum, opes; & honores, vitæ ostentatio. *Caro* itaque designat ipsum peccatum originale, cum defectibus atque affectibus pravis omnium virium, intellectus, voluntatis & sensitivi appetitus. Jac. I, 14. quæ interior confusio & concupiscentia est *caussæ proxima*, Rom. VII, 17. Gal. V, 19. Marc. VII, 21, 22, 23.

Mundus schema humanæ vitæ exterius denotat, circa quod caro versatur potissimum. Obvium est *schema mundi in personarum moribus, præbentibus offensionem animorum*, Matth. XLIIX, 7. dicendo, docendo, faciendo, omittendo. Obvium quoque est depravati mundi *schema in rebus sensibiliibus*, quatenus in eas appetitus, & sensitivus, & rationalis, ex corruptione carnis intimâ fertur: quem mundi amorem cum amore Patris in una mente conjungi posse, *Johannes* I. ep. c. II, 15. & *Jacobus* c. IV, 4. pernegant. Existunt inde peccata per *τὸν σωρθηματιζεν*. Rom. XII, 2. I. Cor. VII, 31.

Diabolus, iis succenturiatus, gerit se tanquam *Deum* hujus seculi, 2. Cor. IV, 4. & principem mundi, cum multis spiritibus potentibus. Joh. XII, 31. XIV, 30. Eph. VI, 12. Postquam is mundum & carnem imple-

plevit cupiditatum suarum semine, Joh. VIII, 44. quo tentantur intrinsecus & extrinsecus homines; 1. Pet. II, II. Jac. I, 14, 15. 1. Joh. II, 16. inhabitan^t peccatum, idque tam in animabus, quām corporibus, patentem aditum ejus insidiis præbet, ut tyrannidem exercere suam possit, Rom. VII, 18 23. Facit hoc ipsum dupliciter, ut mendax & homicida: Joh. VIII, 44. utroque modo impediens bonum, Matth. XIII, 19. atque inferens malum *culpæ* & *pœnae*, ut vel concupiscentia, vel mortis horrore seruos teneat: Heb. II, 15. tum mediata; 1. Cor. XV, 33. Eph. II, 2, 3, 2. Tim. II, 26. tum immediate; 2. Cor. IV, 4. Joh. XIII, 2. Ephes. VI, 16.

THESES MORALES.

TH. I.

Imagine Dei privatus est homo exorto fidei defec^ttu, qui ut incepit, ita hodiernum incipit semper, à voluntate.

Qv. I. Fidei defectus quo sensu dicitur origo peccatorum?

Ita dicitur Job, XVI, 9. Quemadmodum autem *fides* intellectū pariter ac voluntatis divinia perfec^tio vel emendatio est, sic neglectus fidei complectitur & ignorantiam & obdurationem, Eph. IV, 18. tenebras mentis & cordis, ibid. cæcique hujus *erroris* fructus, *cupiditates*, hominem carnis corruptione infestantes. v. 22. Eph. II, 2, 3.

Cupiditates illæ, *amoræ* fructus, dicuntur in Scripturis *mendacia*, ex malitioso errore conser-

quentia cogitata, dicta & facta, à vero nimis bono aberrantia. Apoc. XXII, 15. quibus opponitur veritas, quæ in Jesu Christo est: Eph. I V, 21. ad cuius agnitionem, hoc est, veram fidem, omnes venire vult Deus, I. Tim. II, 4.

Qv. 2. Fidei integritasanne ab intellectu potius, quam à voluntate, incepit deficere?

Sic videtur factum ex animæ facultatum ordine, præsertim quum error in affectu errorem in intellectu supponere soleat. *Enim* verò in voluntate prius, quam intellectu, fidei cultusque divini omissionem exortam esse, docet tum historia lapsus, tum libertatis, seu liberi arbitrii ratio; hæc enim apud intellectum mansisset integra, nisi ab inordinato appetitu judicium mentis obnubilatum esset. Gen. III, 1, 2, 3, 4, 5. quale quid fieri adhuc, ut ratione concupiscentia antevertat, augeatque ejus error deinceps eò magis; queritur Paulus Rom. VII, 23. Jac. I, 14. Conf. Rom. I, 28. & suprà pag. 40. qu. 3. th. 1.

Qv. 3. Quem usum hæc observatio in praxi assert?

Observatio ista non tantum de lapsu primo vera est, verum etiam in quovis fidei defectu animadvertisse. Corruptio ipsa incipit semper ab inclinatione pravâ, quæ perversam rationem adsciscit ultrò, & affectus sensusque captivos legi peccati reddit. Rom. VII, 23. Quâ viâ redigitur homo sub potestatem rerum omnium (I. Cor. VI, 12.) a mortis sui & voluntatis propriæ ductu, ut ex rerum abusu fiat hostis Dei, ac mancipium mundi cupiditatum, vagabundus ex uno errore in alium. Eph. IV, 22. Rom. VI, 19.

Error

Error s^epe quidem α corrupto intellectu originē
ducere videtur, sed, quatenus evertit fidem, α vo-
luntate semper est. Heb. III, 12, 13. Hinc tantopere
 \in Scripturis cavetur, ut custodiatur integritas
cordis. Jos. XXIII, 11. Proverb. IV, 23.

De temptationibus, & peccatis omnibus, judicare
licet ex statu animi, præsertim voluntatis, sive mi-
nus sive majus objectum sit; ut 2. Cor. XI, 2, 3. qua de
re pluribus Principia actionum docebunt pag. 114.

TH. II.

Tentatio hostium spiritualium intentatum da-
mnum completere nequit, nisi hominem ad
voluntatis consensum pertrahat.

Qv. 1. *Quinam sunt temptationibus hostium spiritua-
lium obnoxii, fidelésne an infideles?*

Utrique certa ratione. *Infideles* quidem, seu *im-
penitentes*, non tam sub temptatione sunt, quam sub
potestate Satanæ & peccati dominio. Act. XXV ,
18. Col. I, 13. Cæterū eo sensu & hi temptationibus
sunt obnoxii, quod hostis ipsos convertendos magis
magisque excœcare nititur, & captivos adstringe-
re, ne irradientur lumine Evangelii gloriae Christi. 2.
Cor. IV, 4. ne mentis sanitatem recipient ex Diaboli
laqueo; 2. Tim. II, 26. aut, quod permittente Deo
externis quoque malis corripiantur, in terrorem,
vel & damnum aliorum; cuiusmodi quid obfeso
accidit Marc. V, 2. &c.

Fideles verò sunt *propriè*, quibus temptationes in
Scripturis tribuuntur, quatenus adversarius eos
spectat, tanquam in potestatem suam redigendos.

D

Qv. 2.

50 DE CONSENSU VOLUNTATIS. [L.I.C.III.]

Qv. 2. *Cur non eodem modo tentantur omnes?*

Causa non est, quod Satanus ulli parcat: est enim capitalis inimicitia semen mulieris inter & serpentis universum posita. Gen. ill, 15. Quod hic tamen non omnes homines aequaliter adoriantur, partim adscribendum ipsius insidiis, 2. Cor. II, 11. partim Dei custodiæ ac misericordiæ, uno verbo, fidelitati divinæ; quā fit, ut ille nec divinæ permissionis modum possit excedere. 1. Cor. X, 13.

Si neque in Ethnicos omne ius Satanæ relictum, nisi prout ex peccatis peccata graviora nascuntur; uti ex primo ad Romanos constat: multò minùs infideles eum pro arbitrio quidquam posse, intellegitur. Job. I, 12. II, 6. Luc. XXII, 31, 32.

Qv. 3. *Tentationes male quotuplices sunt?*

Aliæ humanæ, à carne & mundo potissimum enatæ, communi quadam gratiæ mensurâ facilius superabiles. 1. Cor. X, 13, aliæ diabolicæ, quas immediate potissimum operatur malus spiritus, ut 2. Cor. XII, 7, 8. tela ignita, Eph. VI, 16, quæ pro varia dispensatione Dei permittuntur.

Qv. 4. *Num temptationes, antequam homo consensum iis præbeat, damnum inferunt?*

Etsi non sine omni damno animæ fit, quoties mentis humanæ fomes afficitur, ex originali pravitate, malis cogitationibus, sensibus vel suggestionibus; tamen damnum ad mortem spiritualem inferendam, gratiamque Dei amittendam, nunquam completur, antequam voluntatis consensus accesserit. Gen. IV, 7. Rom. II X, 1. 1. Cor. VI, 12. Gal. V, 17, 18.

ThII.

DE PROPRIA VOLUNTATE. [L.I.C.III.] 51
TH. III.

Hostium spiritualium nocentissimus est Caro: quem subigere oportet detestatione sui, usu pœnitentiæ & fidei.

Qv. 1. *Quidnam est potentissimum ex insidiis spiritualibus?*

Nullum est dubium, quin Diaboli potentia, & astu & experimentis omnibus roborata, longè maxima sit. Eph. VI, 12. 1. Pet. V, 8.

Qv. 2. *Anne ergo & nocentissimus omnium est hostis ille invisibilis?*

Quòd invisibilis est malus spiritus, non parum ipsius potentiam auget, nocendique facultatem: sed comparativè nocentissimum reputare illum non possumus, quoniam ipsius potestas omnis sine voluntatis nostræ consensu laborat in vanum. Quamobrem ex hostibus spiritualibus nihil tam nocens reperitur, ac ipsa caro nostra; cuius affectui si quis succumbat, tum diaboli in laqueos deum inciderit. Gen. IV, 7. Act. V, 3, 4. Rom. VI, 12.

Qv. 3. *Quodnam hinc officiorum omnium primum adversus tentationes?*

Homo peccator, qui Carnem, hoc est, propriam voluntatis propensionem, tanquam depravatam, in amorem sui & creaturarum ultrò ferri animadvertisit; intelligit hinc, quantum malum sit concupiscentia, semper adversus spiritum tendens. Gal. V 17. Ex eo non tantùm est nihil ipse homo, ut erat initio, sed nunc multò deterius quiddam nihilo, sed et ipsum decipiens. Gal. VI, 3. Itaque suspectum, at-

que indignatione dignū, ante omnia censere qui-vis debet se ipsum, & vero cum dolore proprium animi sui ductum detestari, *quicquid in oculis ipsius rectum videtur*, ex verbo Dei acerrimè dijudicare, Deumque in Christo unicè amandum intueri, ve-reri ac sequi. Proverb. III, 4, 5, 6. Malach. II, 16. Deut. XII, 8. 32. Joh. IX, 41. Rom. VIII, 7.
Sic timor Domini initium sapientiae. Ps. CXI, 10, 11.

AD TOTUM CAPUT.

Conf. J. Arndt, de V. Christ. Lib. I. cap. II. XVI. XVIII. XXXIV. XXXVIII. Lib. II. c. XI. XII. XXIII. LI. LII. LIII. LIV. Lib. III. c. IX. X. XIV. XVI. XVIII. XX. XXI. XXII. Lib. IV. c. III. VI. VIII. XII. XIII. XVII. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXVII. XXXVIII. XL.

LIB. II.

De malis, quæ ex Lapsu in homini-bus orta & consecuta sunt.

CAP. I.

De Malis Culpæ, & Pœnæ; specia-tim de Peccato originali.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Lapsus commissus ab Adamo est, tan-quam foederali capite, & de culpâ e-jus

DE LAPSU GENERIS HUMANI. [L.M.C.I.] 53
jus ac reatu participant omnes homi-
nes.

Qv. 1. Potestne ex Scripturis probari, quòd Deus
cum primo homine, tanquam capite humani
generis, paclum inierit?

Quòd Deus, pactum constituens, in Protopla-
sti personā totam humanæ naturæ speciem respe-
xerit, satis evidenter Paulus edocet Rom. V, à v.
12. Act. XVII, 26. ponens analogiam inter Ada-
mum primum & secundum, quorum uterque sus-
tinuerit personam omnium. Conf. 1. Cor. XV,
21, 22, 45. &c. Integra historia lapsūs & consequen-
tium testatur, hominem non modò singulariter
spectatum esse, verùm universaliter. Gen. II, 16, 17.
&c. III, 16, 17, 18, 19. Conf. Gen. XXV, 23. Hebr.
VII, 5, 9, 10. Sirac. XLIV, 19, 24.

Qv. 2. Sed transgressio Adæ actio fuit transiens, quæ
non videatur posteriorum esse propria?

Certissimum est, quòd à Deo reatus nemini in-
feratur citra hominis culpam. Quando igitur per
unum lapsū illum reatus venit in omnes homines
ad condonationem, Rom. V, 18. sanè una ista cul-
pa ex participatione est omnium propria, & per in-
obedientiam unius hominis peccatores constituti mul-
ti sunt. v. 19. Conf. Hof. VI, 7. Gen. V, 3. Psal. XIV,
2. &c.

Non aliter de peccato, quam de morte, illius
consequente, locutus est Deus. Mortem verò in-
telligi omnium, eventus dacet. Peccatum itaque
similiter. Rom. V, 12.

D 3

TH. II.

TH. II.

Mala, ex Lapsu in hominibus orta ac consecuta, consistunt partim in culpâ, partim in pœnâ, vel ratione utriusque spectantur.

Qv. 1. *Quid ex Lapsu in hominibus ortum & consecutum est?*

Quemadmodum ipse lapsus malum fuit atrocissimum, ita ex eo nihil aliud oriri ac consequi potuit, quam magna confusio malorum. Scriptura dicit peccatum & mortem, culpam & pœnam: Rom. V, 12. unâ voce, tenebras; Eph. V, 8. 11. 1. Joh. I, 5, 6. oppositas luci imaginis Dei. Gen. V, 1. 3.

Qv. 2. *Quænam sunt mala culpæ, ex lapsu orta & consecuta?*

Peccatum originale, corruptio illa intima omnium humanarum virium, cum peccatis actualibus variis. Rom. V, 12. &c. VII, 14. &c. Eph. II, 1. &c.

Qv. 3. *Quænam sunt mala pœnæ, ex lapsu orta & consecuta?*

Mors, seu vitæ privatio, & spiritualis, & temporalis, & æterna; cum tyrannide Diaboli, variisque vitæ naturalis calamitatibus. Gen. II, 17. III, 16, 17, 18, 19. Rom. V, 12. 21. VI, 23. VII, 5. 24. Hebr. II, 15.

Qv. 4. *Quomodo mala ista ratione culpæ & pœnæ simul spectantur?*

Mors temporalis & æterna, cum aliis corporalibus malis ac Diaboli tyrannide, præcisè pœnæ sunt; malorum autem istorum omnium radix, mors spiritualis, spiritus defectum inferens & concupiscencias

Ex LAPSU ORIUNDIS. [L.II.C.I.] 55

tias pravas, unà cum hisce & culpa & pœna est, si-
milariterque gradus peccatorum. Rom. I, 24.28.

Quemadmodum lux spiritualis ipsa est vita, sui
ipsius præmium; sic & caligo spiritualis ipsa est
mors, sui ipsius pœna. Rom. VIII, 6.

TH. III.

Mors spiritualis, ipso lapsus momento exorta &
completa, radix & complexus reliquorum
malorum omnium est.

Qv. 1. *Comminatio divina estne adverbum impleta;*
quod homo ipso lapsus tempore moriturus
esset?

Etsi mors primi hominis, si naturalis vitæ pri-
vatio spectetur, post secula complura demum se-
cuta est; Gen. V, 5. tamen mors, in se & primariò
spectata, quæ est privatio vitæ spiritualis, tanquam
principii verè vitalis, immediatum lapsus fuit conse-
quens. Rom, V, 12. conf. e, VII, 10. Eph. II, 1, 2, 3. IV,
18. Col. II, 13. Gen. III, 7. conf. i. Tim. V, 6.

Qv. 2. *Ergo mors corporis, seu naturalis, que & tem-
poralis dicitur, non est pœna peccati, nec de hâc*
quoq; comminatio intelligenda?

Est omnino & corporea mors, peccati pœna,
Rom. VI, 23 neque à primæ comminationis sensu
excludenda: quemadmodum & Simei dicebatur
morte moriturus. I. Reg. II, 37. Ipso etiam lapsus
momento cum morte spirituali pariter corporalis
incepit, quando ex superioris lucis defectu, & cu-
piditatum corruptione, illicò mortale factum est
corpus, Rom. VI, 12.

D 4

Qv. 3.

Qv. 3. Quænam analogia observatur inter tres mortis species, spiritualem, corporalem & æternam?

Mors spiritualis, (mortalium esse in peccatis: Eph. II, 2. oppositum vid. Lib. III. c. I. Th. IV. q. 3.) quum denotet privationem omnium virium divinarum, viriumque humanarum omnium corruptionem, ipsa est radix, seu radicalis complexus, universorum & culpæ & pœnæ malorum. Postquam enim illa corrupit hominem cupiditatibus erroris; Eph. IV, 22, his dominatum obtinentibus, Rom. VII, 5. non potuit non mors temporalis simul & æterna sequi, Rom. VIII, 13. I. Joh. III, 14, 15.

Exorta igitur, & completa est pariter, cum peccato, mors spiritualis: Rom. V, 12, licet autem & temporalis & æterna simul exorta sit, utraque tamen non statim & consummata est. Cæterum utriusque harū contagio & surculi ab initio non defuerunt, quum affectum sit corpus & nuditate & pudore, & terrore & tremore, cum tyramide ipsa diaboli; quales aliæque mortalitatis vitæ calamitates, molestiae ac ærumnæ consecutæ, prævia sunt mortis utriusque genera. Gen. III, 16, 17, 18, 19. Rom. V, 12, 21. &c.

Miserias omnes ad mortem pertinere, docet locutio, qua appellantur mors: Exod. X, 17 mortis vincula. Ps. CXVI, 3 conf. 2. Cor. IV, 11, 12. XI, 23. - 28.

Qv. 4. Num verò & mortem æternam omnes sustinebunt, velut temporalem?

Quemadmodum vita spiritualis est fons atque initium æternæ vitæ; sic etiam mors spiritualis privatio est vitæ æternæ, atque idcirco mors æterna incho-

DE MALIS POENAE. [L.II.C.I.] 57

inchoata. 1. Joh. III, 14, 15. Quod si dominatur mors spiritualis in hominem usque ad terminum hujus vitæ, ipsa quoque æterna completur ac sequitur: sin illa dominium non obtinet aut retinet, eandem, efficientem quippe adhuc fideles, mors temporalis tamen excipit, tempore divinitus destinat; siquidem corpus, ex lue spirituali, mortale redditum est. Rom. VI, 12. II X, 10. 2. Cor. V, 1. Quando autem iis, qui in Christo sunt, dissolutio animæ ac corporis semel contigerit, nihil amplius juris supereft morti in eos. Rom. VI, 7. 10. 1. Cor. XV, 54-57.

Qv. 5. *Qui obdormiunt in Christo, num mortem,
ut pænam, obeunt?*

Mors iis, qui verè in Christum credunt, non manet pœna: hi namque vitam æternam habent retinentque, nec in judicium veniunt, sed transivere à morte in vitam. Joh. V, 24. Vlll, 51. XI, 25, 26.

Ut cætera mala, quæ mortem antecedunt, sic etiā ipsum ejus complementum, fidelibus est castigatio paterna; Hebr. XII, 7. molestia medicinalis, Augustino dicta. Ex uitio. 2. Cor. V, 4. Sopor. Joh. XI, 11. 13. 1. Thess. IV, 13. conf. Heb. XI, 13.

TH. IV.

Malum culpæ est peccatum, quod imaginem Dei in homine destruit ac tollit ex omnibus facultatibus, mortemque oppositam inducit.

Qv. 1. *Cur Johannes peccatum describit à vocatione?*

1. Joh. III, 4. peccatum dicitur à vocatione, aberratio à lege; seu defectus conformitatis, quæ actiones

animi & corporis legi divinæ respondere debent.
Lex enim, in genere, est voluntas & imago Dei in litteras relata, seu verbis patefacta: typus doctrinae, in quem traditus homo. Rom. VI, 17.

Qv. 2. Estne ergo peccatum grande malum?

Omnino. *Lex divina, homini vel innata, vel indicata, quum sit ordo secundum imaginem & voluntatem Dei, in ipsius opere, æternæ veritatis simulacrum, ac propterea ingens bonum; hinc ejusdem privatio, seu transgressio, non potest non esse horribilis destructio operis, & conturbatio atq; confusio ordinis divini. Sanctitas illa, tanquam bonum, congruens ad Dei mentem, placebat Deo, & servabat creaturam. Peccatum ergo, ut malum, displacebit Deo, & exitiale est diabolo ac homini; grandis stultitia. 2. Sam. XXIV, 10. Osee XIII, 9. Matth. XXIII, 19. &c. Rom. II, 5. 8. 9. conf. Eph. V, 18.*

Qv. 3. Circa peccatum quænam distinctè sunt consideranda?

Tria. Ratio formalis, Subiectum, seu materiale. Reatus, consequens.

Qv. 4. Formalis ratio peccati in quo consistit?

Ipsa peccati ratio, in se spectata, est aversio à Deo, defectus justæ reætitudinis, destructio imaginis Dei, unionis cum Deo: ut, non sentire ex spirito divino, voluntate ad se & creaturas propendere extra Deum, concupiscere.

Qv. 5. Opera bona renatorum suntne à peccati ratione prorsus immunia?

Renatorum virtutes sunt quidem bona opera, tanquam fructus spiritus; adhaeret tamen iis quædam

DE PECCATO. [L.II.C.I.] 59

dām imperfectio: nec ipsa Deo, nisi propter Christum, placere possunt. Postquam enim homo est venundatus sub peccatum, labes hæc carnis non prorsus tollitur in hac vita; lex autem spiritualis prorsus est. Rom. VII, 14. VI, 12.

Qv. 6. *Subjectum an discernendum à peccato?*

Propter abusum hominis sollicitè discernendum *subjectum*, seu *res*, cui peccatū inest, à peccato ipso: res enim, *hoc sensu*, à Deo condita est, conservaturque, *in se* non mala. Sic *naturæ*, quam Deus sustentat, *motus* distinguendi à defectibus & transgressiōnibus, quæ ab eo efficiuntur nunquam. *Appetitio-*
nes naturales bonæ creatæ sunt, *atra* in iis & de-
pravata inclinatio vitium facit; unde vocantur
concupiscentiæ. Jac. I, 14, 15, 16, 17. In omnibus autem facultatibus peccatum destruere ac tollere imaginem Dei, *dicta Scripturæ* docent, renovati nem quoque præcipientia: ut Rom. III, 13. &c. 2. Cor. VII, 1. conf. Lib. I.c. II. th. II.

Qv. 7. *Cur autem res, facta per accidens mala, rejicitur & damnatur?*

Res, licet *per accidens* mala reddatur, nihilominus sub reatu est; propterea quod sine voluntatis humanæ *concursu* atque consensu non esse contaminata, nec imaginem Dei amittere, aut in captivitatem abripi potest. Gen. IV, 7. VI, 5. 1. Cor. VI, 12.

Qv. 8. *Quidnam est reatus?*

Obligatio, vel obligationis status, in quem homo propter peccatum incidit, ut *judicio* divino ac morti, ut *poenæ*, sit obnoxius. Rom. III, 19. Spectatur enim tum ratione *judicii*, tum ratione *condemnationis*.

tionis ac pœnæ: καὶ πάτερ αὐτοῦ ἡμῖν. Rom. V, 16.

Est peccati in se spectati *consequens inseparabile*, fundatum in comminatione divina. Gen. II, 17. Deut. X XVII, 16. Rom. VI, 23. Gal. III, 10. Hinc peccatum, *moris aculus: 1. Cor. XV, 56.* per quod in mundum hæc venit, pervasitque in omnes homines. Rom. V, 12.

*Qv. 9. Lumen naturæ an aliquid bac de re
assequitur?*

Natura quidem corrupta nihil rectè intelligit hac de re: est tamen per Dei gratiam generalem in naturâ, & conscientiâ, lex innata, quæ malum agnoscit. Rom I, 32. Quocircare revelatur ira Dei è celo adversus omnem hominum impietatem & iniustitiam: ib. v. 18 Ps. XC, 12. multò autem magis ex ipsa lege patefactâ, ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei. Rom. III, 19. Ps. CXLVII.

Qv. 10. Sed an omne peccatum inducit mortem?

Judicium, quatenus peccato, ut pœna isthuc dignum est, adhæret, tolli ab eo non potest, æquè ut peccatum reddi infectum nequit. Quod si verò peccator sit, maneatque in Christo, in istum reatus non ita cadit, ut consummetur, & καὶ πάτερ transfeat in πατέρα ἡμῶν, in ipsis dominum attrahens; sed æqualis hæc condemnatio aufertur ipsa remissione peccatorum, ut nihil condemnationis sit in iis, qui in Christo Iesu sunt. Rom. II X, 1.

Sæpe καὶ οἱ & καὶ πάτερ tam latè patent, ut simul πατέρα ἡμῶν significant. Joh. III, 17, 18, 19. 36. V, 24. &c.

TH. V.

DE PECCATO ORIGINALI. [L.II.C.I.] 61

TH. V.

Malorum culpæ fons est peccatum originale: quod ex primo lapsu & propagatione inest omnibus hominibus.

Qv. 1. *Peccatum originale quotupliciter sumitur?*

Dupliciter: *originans* vel *originatum*. Peccatum originale *originans* dicitur ipse actus primus, quo lapsi protoplasti sunt; seu *actualis* Adami transgressio. Quam consideravimus Th. I. *Originatum*, vocatur, quatenus ex lapsu origine vicesitas in hominibus inest. Quo sensu communiter sumi solet.

Qv. 2. *Differuntne peccatum hoc originale & mors spiritualis?*

Sicut imago Dei & vita spiritualis re ipsa non discrepant, sic heque mors spiritualis & peccatum originale. Tantummodo observandum, quod hoc rationem peccati, & originem ex primo lapsu; illa vero, rationem pœnae & defectum, magis exprimat.

Qv. 3. *Quænam sunt mala, quæ peccatum originale complectitur?*

Tria hæc: Defectus spiritualium virium, prava concupiscentia, reatus.

Qv. 4. *Defectus & concupiscentia quomodo traduntur in Scripturis?*

Quum à concupiscentiâ & peccatum inceperit, & defectus virium sit exortus; Rom. IIX, 3. conf. L.I. C. III. Th. V. q. 4. hic ita adhærens illi est, ut Scriptura mentionem plerumque faciat utriusque. Dispositione virium humanarum per concupiscentiam

cor-

corruptâ, lux justitiae originalis intra hominē extincta est, ten ebris injustitiæ atque errorum exortis. Eph. IV, 18. *Spiritus redus cessavit*, Gen. VI, 3. Ps. LI, 12. carne emergente, legem in omnibus facultatibus enervante, Rom. VIII, 3. totumq; hominem implente perversis cupiditatib; qui ipse hinc caro dicitur, Joh. III, 6. Rom. VII, 14. fact⁹ carnalis, v. 14. animalis, non amplius capiens, quæ sunt Spiritus Dei, 1 Cor. II, 14. tenebrae. Eph. V, 8.

Imago Dei omnes potentias in homine perficiebat: *lapsus* easdem perfectionibus privavit. Quando autem *rectitudo* interiit, non potuit non succedere pravitas; ut vires, veritate ac bonitate destituta, operarentur atque irent in *contrariam* vanitatem & nequitiam, everlō quippe aeterno lumine. Matth. XII, 30. Eph. VI, 17, 18. Hinc quodcumque sapit caro, inimicitia adversus Deum est, ductus ad omne malum, ipsaque mors, ut ne possit quidem verè præstare quidquam spiritualis boni. Rom. VIII, 6, 7. Quod ipsum non de *inferioribus* tantum, sed etiam de *superioribus* dictum facultatibus; quas non esse minus depravatas, quam illas, renovationis necessitas evincit, iisdem æquè tributa. Rom. XII, 2. Eph. VI, 23. Col. III, 12. ubi de intimâ & præcipuâ parte, quæ insignitur *Spiritus mentis*, idem legitur.

Qv. 5. Quænam sunt mala ejusmodi in intellectu?

In intellectu, privatio salutaris notitiæ Dei ac rerum cœlestium, nec non terrestriū illustrioris scientiæ. Joh. III, 12. Job. XXVI, 14. tum proclivitas, ad contemptū veritatis, atque assensum errorib; præbendum

PECCATI ORIGINALIS. [L.II.C.I.] 63

bendum, 1. Cor. II, 14. 2. Thess. II, 10. *Tenebræ mentis:* Eph. IV, 18. quæ negant potentiam salutariter cognoscendi Deum, atque efficaciter assentiendi ejus comminationibus & promissionibus. Unde Ethnici *sine Deo esse* dicuntur, ib. cap. II, 12. in *vanitate mentis* ambulantes. c. IV, 17.

In *memoriâ*, oblivio indolis ac gloriæ divinæ, rerumque ad hanc pertinentium; ut discipuli dicta Christi capere & retinere haud possent. Rom. III, 23. Joh. XIV, 26. Luc. XVIII, 34.

Qv. 6. *Quænam in appetitu?*

In *voluntate* (appetitu rationali) aversio à Deo, ipsiusque dilectione, metu ac fiducia: conversio inordinata ad creaturas, pronitas ad semetipsum respiciendum extra Deum, Deoque præferendum, opponendum. Gen. VI, 5, 6. II X, 21. impotentia, perversitas, repugnantia adversus legem. Rom. VII, 11. 15. 18. II X, 3. 7. induratio cordis seu contumacia, *πρωγωσις*, Eph. IV, 18. duritia, Rom. II, 5. præputium carnis, Col. II, 13. ita ut homo *circumcisio-ne* opus habeat. Act. VII, 51.

In *affectionibus*, & *appetitu sensitivo*, *αταξία* & transversa inclinatio, quæ & mentem & voluntatem ad errores ac prava hujus mundi desideria abstrahit. Gen. IV, 7. Rom. VI, 19. &c. rebellio, perpetua carnis adversus Spiritum luæta, Gal. V, 17. *peccati corpus*, Rom. VI, 6. *membra terrestria*. Col. III, 5. Rom. VII, 23. *peccatum inhabitans*. v. 17. 20. *adjacensque*. v. 21. In *corpore*, crassæ & tardæ molis onus circa omnne bonum; Sap. IX, 15. peccatum *ἐντερίσατο*, Hebr. XII, 1. sic ad homines circumcingendos ad-

hærens,

hærens, ut & impedit cursum rectum, & agilitatem ad malum subministret.

Qv. 7. *Defecitus hujusmodi cum concupiscentia conjuncti, suntne peccatum originale ratione actuum, an potentiae simul?*

Ratione utriusque, & actuum & potentiae. Hinc enim concupiscentia prava est perpetua naturæ inclinatio ad malum, quod natura corrupta non habet dona & vim efficiendi timorem & fiduciam erga Deum. Rom. llX, 7. 1. Cor. ll, 14. ὅγνος οὐκέτι εὐπεπτός εἴμαστε. Ebr. Xll, 1.

Qv. 8. *Cur autem negatione actuum peccatum originale potissimum describitur?*

Tantæ sunt corruptionis tenebræ, ut vix actus externi agnoscantur mali. Ut proinde animadverat homo interiorem immundiciem, & morbos maximè adversantes legi Dei; quod non possit Deo credere, non possit Deum timere ac diligere! Scriptura exponit actus, & commissos malos & bonos omissos, quos secum explorare liceat: ignorantem Dei, neglectum Dei, vacare metu & fiducia Dei, odisse judicium Dei, fugere Deum judicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium; tum concupiscentiam, quæ carnalia quærunt contra verbum Dei, non solum voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens Deum. Quibus observatis fructibus, constantique carnis perversitate, nullis viribus humanis apud ullum mortalium superandâ; patescit ipsa potentiae privatio. Rom. I, 18. III, 10-18. VII. VIII, 3-7. 1. Pet. II, 11.

Qv. 9.

Qv. 9. Reatus quomodo adhæret peccato
originali?

Ita adhæret, ut per peccatum mors in mundum intrarit, pervaseritque in omnes homines, ita ut omnes etiam peccārint. Rom. V, 12. Nec reatus modò pœnæ, atque imputatione, neque exemplo tantum atq; imitatione; sed & ipsâ pravitatis, propter quam natura iræ Dei subjecta est, participatio & propagatione, per generationem naturalem, in omnes derivata est depravatio & mors. Dicuntur enim & illi participes facti, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adami: ibid. v. 14. & per Adami inobedientiam peccatores sic constituti, ut eodem modo constituantur justi per Christi obedientiam. v. 19. Christi autem justitia non ad imitationem solum proponitur, neq; ad imputationem modò; sed ipsâ etiam communicatione Spiritus, & vitæ effectu, omnium fit credenti, um. Similiter itaque Adami lapsus, & communicatione pravitatis naturalis, & mortis efficacitate, in omnes peccatores transit.

David Ps. LI, 7. agnoscit, se in iniuitate genitum, & in peccato conceptum à matre sua. Paulus ad Eph. II. ei, quod gratiâ Ephesii atque Judæi salvati essent, opponit, utrosque naturâ fuisse filios iræ; h. e. quicquid sine gratiâ Dei, ante & præter gratiam naturâ in homine, id ita esse contaminatum, ut dignum sit irâ Dei: nec enim tantum de reatu dicit, nedum imitatione modò; sed monstrat quoque, quid sit in naturâ, cur simus filii iræ. v. 1, 2, 3, 4, 5, &c;

66 DE PECCATO ORIGINALI, [L.H.C.I.]

Qv. 10. Num reatus in solum hominem, an verò in cæteras quoque creaturas cadit?

Propriè in solum hominem, quemadmodum culpa; utpote qui ultrò attraxit malum. *Creatura* autem, ratione carens, non suā sponte (*εχενθα*) vanitati subjecta est, sed tantumodò propter eum, qui subjecit ipsam. Itaque hæc testatur de irâ Dei, cuius sit consors redditia, sicut anteà cum hominibus longè præstantiore conditione gavisa erat; ipsiusque vindictæ fit instrumentum. Rom. VIII, 20. 22. Ezech. XIV, 21. Sap. V, 18. XVI, 24.

Qv. 11. Quid ergò est peccatum originale?

Privatio imaginis divinæ in cunctis naturæ viribus, mala culpæ & poenæ actuose attrahens. Rom. III, 10-18. 23. V, 12.

Appellationes, in Scripturis observandæ: *Caro*, Rom. VII, IX. Gal. V. *Corpus peccati*, inefficax redendum, Rom. VI, 6. cum *membris*. Col. III, 5. *Vetus homo*, Eph. IV, 22. h.e. totus homo, corpore, animâ & omnibus facultatibus, quatenus opponitur Spiritui. *Quicquid natum est ex carne, caro est.* Joh. III, 6. *Tenebræ*. Joh. I, 5. Eph. V, 8. *peccatum nati est έξοχην*. Rom. VI, 12. VII, 20. *Lex peccati in membris*. c. VII, 23. *peccatum inhabitans*, v. 17. *malum adiacens*, 21.

TH. VI.

Peccatum originale non est ipsa hominis substantia, aut de ejus essentia; sed diaboli opus, operis Dei intima & ineffabilis corruptio.

Qv. 1.

Qv. 1. *Quomodo probamus, peccatum non ipsam
hominis substantiam, aut de ipsius essentiâ
esse?*

Non ipse homo est peccatum, sed malum, in eo
habitans; adjacens, circumstans. Rom. VII, 17.
Non ego, sed peccatum in me. v. 20. Hebr. XII, 1.

Idem probare solent ex *articulis*, de *Creatione*:
nam quicquid Deus creavit, bonum est. 1. Tim. IV,
4. de *Redemptione*: Christus substantiam humanam
assumisit, nec verò peccatum, à quo nos liberat.
Rom. VII, 24, 25. Hebr. IV, 15. de *Justificatione*:
peccatum remittitur, non autem hominis sub-
stantia; homo in gratiam recipitur, salvatur, non
peccatum. Rom. VIII, 2. &c. de *Resurrectione*: sub-
stantia resuscitatitur, peccatum nullo modo. 1.
Cor. XV, 50.

Qv. 2. *Eſtne ergo mera privatio?*

Non est tantum privatio, sed etiam mala quali-
tas inherens. Privatum in eo est, sine metu Dei
& fiducia esse: positivum, cum concupiscentia; h. e.
inclinatio ad omne malum. Dilectio Dei abest, ini-
micitia adest. Rom. IX, 7. appetitus mali. Gal. V,
17. cogitationes pravæ, atque affectus, tanquam
peccati membra. Gen. VI, 5. lliX, 21. Matth. XV,
19, 20. Col. III, 5.

Qv. 3. *Si peccatum non est de essentiâ hominis, quid
sentiendum de eo, ne extenuetur?*

Est ineffabile malum, & tanta humanæ naturæ
corruptio, que in naturâ, omnibusque ejus viri-
bus, tam internis, quam externis, nihil sinceri, ni-

hil boni reliquerit, sed omnia penitus depravârit: ita quidem certè, ut homo, ratione peccati originalis, coram Deo, verè & spiritualiter ad bonum, cum omnibus viribus suis, sit emortuus, imago & opus diaboli. Gen. VI, 3. 5. Joh. IIX, 44. Rom. VIII, 3. 6, 7. Eph. II, 2. &c.

TH. VII.

Peccatum originale, ratione reatus habitâ, in regeneratione per fidem justificam tollitur: ejusdémque radix mortificatur Spiritu, & aboletur magis magisque in renatis, ne ipsum dominari denuò possit concupiscentiâ & defectu virium spiritualium.

Qv. 1. *Peccatum originale an non tollitur
in hac vita?*

Tollitur quidem ipsâ regeneratione, quatenus justificatione tollitur reatus: *non vero, ut non sit, sed, ut non imputetur*; sicut Augustinus loquitur. Manet in naturâ mortali morbus, malum pugnans cum lege Dei, dignum morte æternâ; (quæ & hominem occupat, nisi illud remittatur & tegatur. Psal. XXXII, 1. Rom. VI, 12. 14. IIX, 10.) impediens perfectionem. 2. Cor. VII, 1. Heb. XII, 1. Phil. III, 12.

Qv. 2. *An ergo manet eodem modo in renatis morbus
ille, quo in irregenitis?*

Minimè: nam in *irregenitis* peccatum non modo adjunctum habet reatum iræ Dei & mortis æternæ, qui in baptismo & regeneratione auferuntur

fertur plenariâ remissione peccatorum; verum etiam regnat in iis, veluti regnum peccati describitur Eph. II, 1, 2, 3, Rom. VI, 12, 13. 19.

In regenitibus, non tantum reatus sublatus est, sed Spiritus quoque incepit sanare naturam: Rom. VI, 22. II X, 2. crucifixit carnem cum affectibus & concupiscentiis, vitamque spiritualem instauravit. Gal. V, 24, 25. Atque ita porrò mortificat concupiscentiam & actiones carnis; Rom. II X, 13. corpus peccati minuit; c. VI, 6. novos motus creat; Ps. LI, 12. Eph. II, 10. hominesque integros reddit, stabilit, roborat, fundat: I. Pet. V, 10. ut incepsum opus bonum perficiat usque ad diem Iesu Christi. Phil. I, 6.

Qv. 3. *Quantum ergo de peccato originali aboleatur, aut durat, in renatis?*

Renatus homo esse nequit, nisi reatus fuerit sublatus, & radix originalis mali eatenus aboleatur, ut ne illud dominari amplius possit. Rom. VI, 6. 14. II X, 13.

TH. II X.

Peccatum originale, in regenitis superstes, ratione & concupiscentiae & defectus, in iis verum est peccatum, nec res indifferens.

Qv. 1. *Quomodo probamus hanc thesin?*
Etiamsi nulla sit condemnatio in iis, qui in Iesu Christo sunt; Rom. II X, 1. tamen peccatum in ipsis est. v. 10. c. VI, 6. 12. 14. qui verò ajunt, se non habere peccatum, se ipsos fallunt, & veritas in iis non est. I. Joh. I, 8. Nec tantum defectus, sed etiam

concupiscentia est peccatum, *cōcupīcē*. Rom, VII, 7.

Qv. 2. *Estne autem in regenitis adhuc tam atrox malum, ut peccatum propriè dictum sit?*

Omnino. Radix peccati, seu caro, quum post regenerationem quoque in cordibus lateat, tanquam semen peccatorum omnium, adversus Spiritum concupiscentis in omnibus facultatibus; non potest non grande hoc malum esse, detestandum semper ac debellandum. Gal, V, 17. Marc, VII, 21, 22, 23. Hæc illa miseria, de qua queritur homo Christianus Rom, VII, 24, 25.

THESES MORALES.

TH. I.

Imago Satanæ cognoscenda est, ut Christum, viam Patris imaginem, recipiamus, qui illum in nobis aboleat, sequē nobis intimè per fidem & exemplar imprimendo, instaurat imaginem Dei.

Qv. 1. *In quibus consistit imago Satanæ?*

In malis culpæ ac poenæ: Joh. II X, 44. Hebr. II, 14, 15. Conf. Matth. XXIII, 33. Jac. III, 6 15. Apoc. IX. XVI, 10, 11. c. XIV, 9, 10. XVI, 6 - 21. XVIII, 17. &c.

Qv. 2. *Quas ob caussas tam necessaria est malorum culpæ ac poenæ agnitio?*

Causa generalis est, quod beneficia Christi dignè agnoscí nequeant, nisi malis nostris verè agniti: datus enim est Christus, qui & hæc peccata, & has poenas auferat, & regnum Diaboli, peccatum & mor-

& mortem destruat, tanquam opera diaboli. I.
Joh. III, 8.

*Specialiores sunt: quod, antequam homo cul-
pæ suæ ac pœnæ horrores intra conscientiam ex-
periatur, nec de malorum atrocitate, nec de irâ &
misericordiâ Dei, nec de precibus, nec de fide &
justificatione, nec de discrimine peccati apud re-
genitos & irregenitos, nec de ulla erroribus, spi-
rituale judicium possit capere. I. Cor. II, 14, 15.*

Qv. 3. *Quid autem confert ad imaginem Dei instauran-
dam malorum agnitus?*

Ut de viribus propriis desperet homo, Chri-
stumque unicè amplectatur; cuius & acquisitis vi-
ribus utens, & exemplum sequens, agnitus supe-
ratisque malis, opposita bona instauret. Rom. VII,
24, 25. Vlll, 2. &c. I. Cor. I, 30, 31.

TH. II.

Quemadmodum indeoles spiritualis ante lapsum lex
virtutis ac vitæ Protoplastis erat, sic indeoles
carnalis post lapsum hominibus lex peccati
& mortis est.

Qv. 1. *Num præter legem externam, de non comedendo ex arbore vetita, ante lapsum interna quoque erat?*

In ipso homine ante lapsum inerat lex virtutis
ac vitæ, & notitiam & efficaciam præstans: sed e-
jus vires exorta per lapsum caro perdidit. Rom.
II X, 2, 3.

Illa nihil aliud erat, quam indeoles spiritualis ad
imaginem Dei condita, veritas seu *rectitudo*. Eccl.
VII, 30, Rom. II X, 6. Eph. IV, 24.

E 4

Qv. 2.

Qv. 2. Quid amissæ illius loco succedit?

Lex peccati & mortis, intra hominem illicò extorta, quando lex virtutis ac vitæ interiit. Illa nihil aliud est, quam caro, seu indoles carnalis, per quam prior lex viribus destituta est, homo autem venditus ad succumbendum peccato & morti. Rom. lIX, 2,3. VII, 14. 21. 23, 24.

Qv. 3. Estne à Deo ista lex?

Perversa naturæ proclivitas ad malum dicitur lex, non quasi à Deo proficiscatur; sed, quod hominem ad malum, sub ratione boni apparentis, instruat adiugatque indesinenter, veluti lex docens atque obligans. Rom. VII, 23. Lex autem externa, quæ à Deo per Mosen reddita est bona, si ad eam expellendam admovereatur; ex virium defectu in homine fit, ut illa, affectibus peccatorum constans, per hanc ipsam irritetur magis, auctumque robur suum efficacius exserat in membris, ad fructum ferendum morti; atque ita lege peccati ac mortis detineatur homo, verè miser. Hinc lex Mosis non præbet novitatem spiritus, ad vivificandum, sed litteræ vetustatem, ad occidendum. Rom. VII, 5, 6. II. 13. 23, 24. 2. Cor. III, 6.

Qv. 4. Sed quomodo lex quatenus spiritualis renovatur?

Si lex carnis, tanquam vetus maritus, moriatur, adhibitâ verâ pœnitentiâ, ex viribus præparantis gratiæ occidentibus. Rom. VIII, 4. 6. Col. II, 11. III, 5. Conf. p. 130. 133. 137. Ita enim ipse Spiritus vitæ in Christo Jesu, pristinam integritatis legem assert, quæ dicitur lex Spiritus, lex fidei, opposita legi & peccati & operum; Rom. III, 27, liberans hominem

nem à lege peccati & mortis, ut deinde non in litteræ vetustate, verùm in Spiritū novitate serviat Deo. cap. VII, 4, 6, IIX, 2.

TH. III.

Lex peccati & mortis efficit, ut homo, nondum verè conversus, vel in securitatis, vel in servitutis statu, fructum morti ferat.

Qv. 1. Lex peccati & mortis quomodo alias vocatur in Scripturis?

Peccatum *νατ* ἐξοχὴn dictum, inhabitans. Rom. VIII, 12, 13, 17, 20. vel *stolidus*, affectus peccatorum per legem vigentes in membris, c. VII, 5. conjuncti cum spiritu servitutis: Rom. VIII, 15. malū adjacens, c. VII, 21. lex in membris, internis nempe & externis facultatibus, vers. 23. c. VI, 12, 13. Coloss. III, 5. Renatos etiam afficiens, tanquam pondus abiciendum, & peccatum, ad circumcingendos proclive, licet iis non dominetur. Hebr. XII, 1.

Qv. 2. Dominium illud peccati & mortis spiritualis quotuplicem statum efficit ante conversionem?

Efficit in homine statum erroris, vanitatis, mendacii, veritati, quae in JESU est, Eph. IV, 17-21, 22, 24. oppositum: qui existit vel apertus ex securitate, vel latens sub *hypocrisi*; hæc verò vel retinet internam securitatem cum veritatis specie, vel anxietate servili se prodit. Securitatis status dicitur sine lege, quia in eo peccator legis immemor vivit, & peccatum negligens, tanquam mortuum, sine lege vivus sibi videtur, securè peccans, ipso justitiae liber, peccati servus. Rom. VII, 8, 9. VI, 19, 20.

E 5

Deus

Deus hujus seculi excœcat mentes infidelium, ne irradiet ipsos lumen legis & evangelii; 2. Cor. IV, 4. captivos factos à diabolo, ad ejus voluntatem. 2. Tim. II, 26. 1. Cor. VI, 12.

Status servitutis dicitur *sub lege*, in eo consistens, quod homo ex lege peccata incipiens agnoscere, nec viribus divinis verè hæc omnia detestans, nem non vires servandi eam accipiens, inermis quasi in lege detineatur; contrà autem, affectus peccatorum, stimulum ex lege capientes, reviviscant, atque efficaces fiant in membris, ciendo omnem cupiditatem, ut peccatum fiat summè peccans, & homo nolens volens morti fructum ferat. Rom. VII, 5. 7, 8, 13. conf. Ps. XXXII. Quo in statu si quis nihilominus Christi meritum sibi arrogare ausit, adulterium spirituale designatur. Rom. VII, 1, 2, 3. *Contradistinguitur* ei status non modo antecedens, qui ante legem; sed & genuinæ contritionis indoles, ac consequens status, qui *sub gratia*. Rom. VI, 14.

Qv. 3. An omnes homines, ante conversionis maturitatem, in alterutro statu ejusmodi reperiuntur?

In alterutro statuum illorum omnes reperiiri nondum verè conversos, naturæ corruptæ ita proprium accertum est, ut propterea Deus etiam spiritualis ejus mali, tam atrocis, figuram historicam temporibus à lapsu indiderit; utpote quæ ab Adamo usque ad Mosen fuerunt sine lege externa, à Moysè autem usque ad Christum, sub lege Mosaica, moraliter, ceremoniali & judiciali: id quod eò spectare, docetur Rom. II, 12. III, 20. IV, 15. V, 14. 20. c. VI. VII.

lIX,

lly. Conf. Gal. III, 23, 24, 25. IV, 1, 2, 3. item Commentarius Lutheri in Epistolam ad Galatas passim.
 Qv. 4. Num verò de utroque statu aliquid in Renovationis quoque statum incidere potest?

Optimè B. Lutherus in laudato *Commentario* observat, id omnino accidere: sed non ita, ut dominetur hujusmodi *affectus*, nisi in peccatum voluntarium lapsus committatur; verum, ut affectiat tamen animum subinde, vel securitatis, vel servitutis specie. Quò pertinent Apostolicæ & commonitiones & consolationes. Rom. VI, 12, 13, 14. 2. Cor. VI, 1, 2. &c.

TH. IV.

Statutus sine lege, seu securitatis, consistit totus in dominante amore sui inordinato, propriæque voluntatis & indolis mundanæ; atque hinc oriundo veri cultus Dei neglectus, siue hic apertus, siue occultus sit apud hominem.

Qv. 1. Unde fit, ut homo legem & verum Dei cultum neglegat?

Ambulat homo in vanitate mentis suæ, obtenebratam mentem habens, & ab alienatus à viu Dei propter ignorantiam, quæ est in ipso, propter obdurationem cordis ipsius. Eph. IV, 17, 18. *Ignorantia & obduration faciunt ἀπίσταν, privationem fideli, cui Christus peccatum tribuit.* Joh. XVI, 9. *Obduration autem ignorantiam reddit malitiosam & que affectatam, cœcique hujus erroris parit frustus, cupiditates, perpetuâ corruptione hominem*

in veteri carne infestantes: Eph. IV. 22. ut amet ac patret mendacia, ex temerario errore consequentia cogitata, dicta & facta, veritati v. 21. 24. & legi opposita, atque à vero & summo bono, ipsiusq; cultu, aberrantia. Apocal. XXII, 15. conf. sup. L. I.c.III. Th. M. I. q. 1.

Qv. 2. Securitatis quenam sunt signa?

Indicia illa sunt, vel *contentus*, vel certè *neglegens*, seu *dominans* socordia interni cultūs divini, ipsiusque usū salutis mediorum; similisque violentia affectuum, abusus sensuum & creaturarum, externa quoque conformatio ad mundi figuram, aliaque hujusmodi opera. Gal. V, 19. In quibus perniciem suam versari, homo securus volens ignorat, amoremque sic Dei, ac divinæ voluntatis curam negligit.

Qv. 3. Estne hic status semper manifestus?

Apud multos miserrimus ille status protervis actionibus se prodit, facillime cognoscendis: apud alios ita reperitur, ut hominibus spirituali experientiā instruti, ex sermonis & vitæ genere innotescat; licet reliquis, non nisi *civiliter* honestis, satis ille honestus ac probus videatur. Apud alios verò ita est occultus sub larva hypocritica, ut ipsi spirituales sēpe fallantur aliquantis per.

Qv. 4. Ergōne & hypocrisis datur in securitatis status?

Hypocrisis hæc, vel *apertior*, vel *occultior*, cum quā securitas consistere potest, significanter adūbratur Gen. III, 7. nihilquè aliud est, quam velamina

mina & praetextus, quibus Deus hujus mundi excœcat
mentes infidelium, ne irradiet eos lumen evangelii
glorie Christi, qui est imago Dei: 2. Cor. IV, 4. quan-
tumvis speciem Christianismi aliquam præ se ferre
cupiant.

Prætextus illi sunt, vel *præsumptionis* vel *excusa-*
tionis.

Qv. 5. *Excusationis ejus signa & species qua-*
les sunt?

In securitatis statu, *excusationes* fluunt ex duobus ejusdem fontibus, vel *ignorantia*, vel *obdurati-*
one, vel *utrāque*. Ita *excusationē* petunt plurimi, ex
perversa Scripturarū *interpretatione*: vel, ab *ignoran-*
tia voluntatis divinæ in omnibus, ac singulis; quā
tamen ne communissimam quidem, de dilectio-
ne Dei & proximi, adimplere student: vel, ab *auto-*
ritate & moribus plerorumque; qui eò magis suspe-
cti esse debebant: vel, provocando ad *testimonium*
Dei, qui scrutetur ipsorum cor; quod tamen non
dum ipsi explorare spiritualiter, nedum mutare
voluerunt: vel, ab *imbecillitate & impossibilitate*;
quum potius naturalis illa viribus regenerationis
vincenda, hæc autem è statu naturali non censem-
da esset: vel, circa *rerum abusum*, à creatione illa-
rum ad voluptatem hominis; immemores, quod
per lapsum appetitus factus sit inordinatus, unde
cum atque ex ipso sui amore, ut nunc ab negationis
necessitas inevitabilis salvando sit; vel, habendo
corruptos seculi mores pro *indifferentibus*; vel, à
facta necessitate, ad pacem & amicitiam *impiam* co-
lendam, quam contrà Christus *talem* detestatur.
&c. Vid. Luc. XIV, 18, 19, 20.

Qv. 6.

Qv. 6. *Præsumptionis signa & species quales sunt?*

Præsumptionis ansam petunt potissimum ex *opere operato*, si litteram legis, & cultūs divini ritus externis moribus observant, sine contritione cordis & immutatione; quos *Apologia August. Confess.* dicit *hypocritas*, deq; iis velamen *Mosis* interpretatur: item, si tantum naturali temperamento ab externis vanitatibus abhorrent; si educati sunt honestā cum sollicitudine; si ab aliis habentur probi, si castigatores aliis: si ductu & exemplo ethnico-rum aliqua virtus per *coactionem* abnegarunt; si aliquibus modo *virtutibus* studiosè dediti: *Jac. II, 10.* si bonum *finem*, ipsamque *Deilandem* sibi propositam persuadent; si *preces* confyeto more agitant; si *verbūm Dei* libenter audire sibi videntur, si ex eo non nunquam *pios motus* sentiunt; si aliquando pœnitentię *gustum* habuere; si *scientiam spiritualē* ex libris practicis hauerunt; si de rebus spiritualibus amant *colloquia*; si notitię externam quoque praxin conformem reddunt. &c. 2. *Tim. III, 5.*

Qv. 7. *Talia autem num in securis ferre potest
Satanas?*

Et ferre potest, & interdum juvare solet Diabolus ista & similia omnia, ut eò magis reddat *inxec-sabiles*, & *præsumptionem* augeat; modo intra ipsos impediat unicum illud necessarium, amplexum videlicet Christi in verā *Spiritus paupertate*, contritione & humilitate, hoc est, intimā amoris sui rerumque omnium *abnegationē*, tantopere à Domino commendatā. *Pſ. II, 12. Matth. V, 3, 4, 6. Luc. VI, 20, 24, 25, 26. Apoc. III, 15, 16, 17.*

Th. V.

TH. V.

Status sub lege, seu servitutis, & hypocriseos strictrius dictæ, securitati opponitur, totusque consistit in spiritu servitutis ac timoris dominante; quo conscientia perculta quidem ex lege, & huic adstricta est, sed ita, ut ex eo ipso, ob certum vel legis vel evangelii abusum, opera non nisi mortua proveniant, peccatumque augeatur.

Qy. 1. Nonne & securitas servitus peccati est?

Rectè: nam Christus dicit Joh. II X, 34. quisquis committit peccatum, servus est peccati; & Paulus Rom. VI, 16, 17, 20. Petrus 2. Ep. c. ll, 19. ita de servis peccati agit. Similiter dictio, *esse sub lege*, accipitur latè Gal. V, 18, 23. Strictè autem servitus, designans statum securitati oppositum, non tam peccatum, quam legem, per quam illud irritatur & augetur, respicit. Quo de sensu servitutis sub lege, seu coactionis, item securitatis oppositæ, agitur Rom. VII, 5, 8, 9, & seqq. de Spiritu servitutis cap. II X, 15. conf. 2. Tim. I, 7. & Hebr. II, 15. de quo & Rom. VI, 14. sub lege esse, intelligendum est.

Aliud servitutis jugum est, quo conscientia alligatur legi ceremoniali, ad quam sub gratiâ evangelii nemo obligatur. Gal. V, 1. aliud, quo legi morali, quam gratia evangelii potius adstruit, quam destruit, Rom. III, 31. conscientia alligatur ita, ut vires

vires tamen obsequendi impedianter. Quod posterius hujus loci est, tanquam *lex peccati & mortis* strictè dicta: quoniam non tam lex, quam & peccatum & mors spiritualis inhabitans, statum illum efficit. Rom. VII, 23, 24. II X, 1.

Qv. 2. *Spiritus servitutis nonne est donum Dei?*

Spiritus servitutis est *affectus mixtus*, ex divinâ per legem operatione, quæ omnino est Spiritus Sancti efficacia ac Dei donum, & ex naturali in hominibus defectu virium spiritualium, illam infringente: sensus enim hujus impotentiae, stimulo ipsis legis excitatus, & anxietatem reddit sterilem, & peccati vires acuit. Ita verò affectus spiritualis fit servilis, propriamque indolem amittit in homine; neque idcirco amplius tanquam à Deo datus spectatur, sed opponitur dono Dei. Rom. VIII, 3. 7. 15. 2. Tim. I, 7. 1. Cor. XV, 56.

Qv. 3. *Spiritus servitutis num dominans semper est, ubi existit?*

Non: sed distinguendum inter *affectum* hujus statūs, & *statum ipsum*. Affectus spiritus servilis quando in *Renovationis exercitium* incidit, homo magnam rursus experitur peccati luctam: constanter verò hic detestans malum, quo afficitur, victoriāque per fidem reportans, contrario spiritus spontanei affectu intimè fertur in bonum. Ps. CXIX, 120. Phil. II, 12, conf. Th. III, qu. 4.

Apud irregenitos autem atque impenitentes si experitur *status servitutis sub lege*, est omnino dominans

minans semper & planè hypocriticus. Etiam si enim illi videantur sibi velle bonum, idque vehementer sèpe; tamen quum peccato in spiritu & veritate mori detrectent, mox vel in securitatem relabuntur, vel ex Lege peccatum vires accipere sentiunt dicto modo. Conf. Th. III. qu. 2.

Cæterùm iste *affectus legalis*, cuius terminus est pristina securitas, non minùs est dominans, quam status ipse, propter peccati durans dominium. Rom. VI, 16. VIII, 12, 13. Sin peccatum non dominetur amplius, verâ pœnitentiâ superatum; *legalis* adhuc durans *affectus*, non *servitus*, sed *tentationis* signum est: statusq; hic *sub lege*, non nisi ob quandam analogiam, dicitur. ib. v. 15. Hebr. IV, 15, 16.

Qv. 3. *Servitutis causæ vel occasiones quænam?*

Occasio est sensus peccati originalis, iræquæ divinæ; *causa*, abusus Legis, vel Evangelii.

Legis, vel judicii, mentio horroris sensum excitat, qui definit vel in securitatem, si excutiatur, ut Act. XXIV, 24, 25. vel in anxietatem. c. XVI, 29, 30.

Ex abuso Legis fit *status sub lege* durans ac permanens: (1) si lex non *pædagogus* ad Christum fiat; Gal. III, 24. sed homo, ingenii sui ductum sequens, semet ipsum coercere satagat vario *cultu electio*: qui status facile transit in securam hypocrisim. Coloss. II, 18, 19, 20. &c. (2) Si peccator prava desideria & delicta sua non omnia agnoscat & detestetur seriâ cum abnegatione, verum *aliquid falsi* in corde fovens retineat, ex amore sui & voluntate propriâ: ut constat exemplo confitentis Davidis, Ps. XXXII, 2, 3, 4, 5, 9. & Luc. XV, degeneris filii; qui v. 13. in statu securitatis protervæ,

v. 15. hypocriticæ, v. 17. sub lege, v. 18, 19. in transi-
tu ad gratiam, repræsentatur. (3) Si contritio de-
stituatur humilitate sincerâ in precibus: ut *Jude*
proditoris, & Simonis Act. VIII, 22, 23, 24. (4) Si
gratia per preces se non possit exserere, quod non
satis seriat sint. Matth. VII, 7, 8. Luc. XVIII, 1. &c.
(5) Si continuenter hypocriticæ, sine vera pœni-
tentia & abnegatione. Esa. I, 15. (6) Si pœnitentia
quidem videatur anxia, sed cum defectu *appli-
cationis* Evangelicæ. Luc. XIII, 24.

Ex abuso *Evangelii* fit potius securitas, quam sta-
tus sub Lege; nisi quod hic recrudescit, cum non
nullos à securitate mox retrahit conscientiæ sti-
mulus, timoremque servilem vicissitudine illâ au-
get: Rom. VII, 9. vel, si preces ad Evangelium ac-
commendantur, sed promissionum usui deest verus
pœnitentiæ ordo. Jacob. IV, 3. Quod etiam referri
potest, si quis ex ipsâ fide relabitur sub peccati o-
riginalis dominium. Joh. VIII, 30, 31, 32.

Qv. 5. *Quinam sunt statûs sub lege effectus?*

Opera non nisi mortua: sive sunt opera legis, quæ
ad Legis normam ex coactione committuntur, sive
contra ipsam legem emergant. Hebr. VI, 1. Rom.
IV, 15. VI, 14. VII, 5. nam utroque modo peccatum
& mors regnant augmenturque. ib. v. 13.

AD TOTUM CAPUT

Conf. J. Arnd, de Ver. Christ. lib. I. cap. II. III.
XIX. XXXVII. XL. Lib. II. c. I. VII. XXIV. Lib. III. c.
IX. XVIII. Lib. IV. Part. II. c. XXXI. XXXII. XXXVII.
XXXVIII. XL.

CAP.

CAP. II.

De Peccatis Actualibus. THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Peccatum originale in Scripturâ dicitur regnans, quando actualia , ex eô orta, penes hominem sunt aut sunt voluntaria.

Qv. 1. *Peccatum originale an distinguendum ab actualibus?*

Omnino: quemadmodum fructus ab arbore, Luc. VI, 43, 44. sic à carne opera carnis sunt discernenda; Gal. V, 19, 20, 21. omnes & affectus passivi, & activæ cupiditates. v. 24. Rom. VI, 12. Jac. III, 3 8.

Fructus illi immediati pravitatis originalis dicuntur latè peccata actualia, tanquam actiones corporis. Rom. VIII, 13. conf. Rom. VI, 6. Matth. XV, 19.

Qv. 2. *Quidnam strictius est peccatum actuale?*

Quando ad motus inclinationum, seu cogitationum & affectuum suggestiones, accedit aliquid delectationis atque consensûs. Nam concupiscentia abstractendo & inescando animum tentans, mente & voluntate peccatum peculiare concipit, observante Jacobo; c. I, 14, 15. fitque ita præcisè actualis, patiens cogitando, dicendo, aut faciendo, transgressionem actualem. c. III, 6.

Peccatum actuale hinc est actio, vel omissione, cum lege divinâ pugnans, negante vel affirmante. Ne-

F 2

que

que enim minus omittendo, Jacob. IV, 17. Luc. XII,
47. Matth. VII, 19. quam committendo, adversus
voluntatem Dei agitur.

Qv. 3. *Quodnam verò peccatum in Scripturā
dicitur regnans?*

Non tam actuale, quam *originale*, in Scripturā
dicitur regnans, cùm obtemperatur hujus fructi-
bus, cupiditatibus; quæ ex obsequio, illo sunt aut
redduntur voluntariæ. Joh. VIII, 34. Rom. V, 12.
13. 14. VI, 12. 14. VII, VIII, 2. 2. Petr. II, 19, 20, 21.
Gal. V, 19, 20, 21.

Unde peccatum, ut dominus introducitur; Rom.
VI, 13. 16. 17. Deo oppositus; cui membra, tanquam
arma injustitiae, sistuntur: quemadmodum & mors,
per peccatum imperio s̄avire, affirmatur c. V, 12.
14. 17. nec tantum in adultos, verū etiam in eos
omnes, qui non peccarunt ad similitudinem trans-
gressionis Adami. Rom. V, 14.

Qv. 4. *Peccatum originale quando non amplius
regnat?*

Quando ex Evangelio spiritus vitæ in Jesu Chri-
sto animum liberat à lege peccati & mortis. Rom.
VIII, 2. Nam loco peccati dominantis lex spiritus,
seu, lex fidei, (ibid. & Rom. III, 27. 2. Cor. IV, 13.)
tanquam dominium Dei, Christi & Spiritus, re-
gnat in regenitis; Rom. VI, 11. 13. VIII, 10, 11. 14.
perducitque eò filios Dei, ut gratiâ carnem subi-
gant, Rom. VI, 14. Gal. V, 18. nec secundum car-
nem ambulent, at secundum spiritum: Rom. VIII,
1. 4. experientes non modò luctam inter spiritum
& carnem, Gal. V, 17. sed ipsam simul victoriam fi-
dem. I. Joh. V, 4.

Quo-

Quoniam ergò non amplius debitores sunt carni, Rom. VIII, 12. à Christo vividè liberati, v. 2. post funtque eam mortificare, v. 13. & crucifigere; Gal. V, 24. quām diu hoc fideliter præstant, peccato dominantur: nec peccatum iis dominatur, aut dominabitur, Rom. VI, 14. Coercitio autē affectuum, quæ apud irregenitos hypocritica est, eò non pertingit, nec quidquam ex lege Mosaicâ, Gal. III, 21.

Qv. 5. *Quotuplex jus peccato competit in peccatorem?*

Duplex: unum illud *dominandi*, Joh. VIII, 34. 2. Petr. II, 19. & *damnandi* alterum, Rom. I, 32. Utramque potentiam peccatum ex Lege habet. I. Cor. XV, 56. Conf. Lib. II. c. I. th. doct. IV. qu. 8. &c.

TH. II.

Peccatis voluntariis & mortalibus opponuntur veniam; non, quod hæc ex se & suâ naturâ veniam mereantur, sed quia non imputantur, propter diversam subjecti conditionem.

Qv. 1. *Peccatum actuale, sive sit commissionis, seu omissionis, quotuplex reperitur?*

Duplex: aut voluntarium, idque lethale, quod & mortale dici solet; aut involuntarium, idque veniale: illius subjectum est homo irregenitus; hujus subjectum est homo regenitus.

Qv. 2. *Quid est peccatum voluntarium & mortale?*

Est actio, vel omissio, quæ contra legem ex destinata fit malitia, Spiritus Sancti gratiam & vitam dei expellit, hominemque conjicit in statum iræ,

mortis ac condemnationis. Rom. VIII, 13. Jac. IV, 17. conf. Matth. XXV, 42, 43. Hebr. VI, 1. IX, 14.

Qv. 3. Unde voluntarium appellatur?

A proæresi, h. e. consensu voluntatis determinato ac firmo, quo lapsus fit contra conscientiam ab homine sciente ac volente: qui hinc dicitur ἐξετασθεῖς, sub potestatem redigi à regnante concupiscentia. Rom. VI, 12. 1. Cor. VI, 12. Gen. IV, 7. Jacobus vocat peccatum consummatum, quod mortem pariat. c. I, 15.

Qv. 4. Unde appellatur idem mortale?

Non tantum, quod mortem æternam seu damnationem mereatur; sed, quod spiritualem mortem, quæ initium æternæ est, ipso actu inferat, vitâque spirituali & æternâ hominem privet. Ezech. XVIII, 24. Rom. VIII, 13. 1. Joh. III, 14, 15.

Est tamen remissibile illud, statusque condemnationis ex eo incubatus, qui tolli possit in via gratiæ. Ezech. XVIII, 21, 22, 23. Jacob. V, 20.

Qv. 5. Quid est peccatum involuntarium & veniale?

Est actio vel omissione, quæ præter voluntatem fit contra legem, in renatis Spiritus Sancti gratiam & vitam fidei non extinguit, neque adeo condemnationem infert. Rom. VIII, 1. 1. Joh. II, 1, 2. c. I, 9.

Qv. 6. Mereturne ergo hujusmodi peccatum veniam ex se & suâ naturâ?

Veniale dicitur, non quod veniam ex se & suâ naturâ mereatur; sed, quod non imputetur, venia autem id sequatur propter Christum, in quo adhuc existit homo, ipsumque verâ pœnitentiâ amplectitur. Rom. VIII, 1. Conf. qu. 10.

Omnia

Omnia peccata unâ cum originali merentur mortem æternam *ex se & suâ naturâ*, non exclusis motibus contra legem vel levissimis. Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10. Rom. VI, 23.

Qv. 7. *Cur dicitur nonvoluntarium?*

Quia non ex malitiosa deliberatione, sed vel ex carnis infirmitate oritur, seu *præcipitantiâ*; Matth. XXVI, 41. Gal. VI, 1. vel ex *ignorantia*. Levit. V, 2. Num. XV, 27, 28. Act. XXIII, 5. Conf. Ps. XIX, 13. Rom. VII, 15, 16, 17, 19, 20. Act. XI, 2, 3, 18. Quæ autem *assedita* est *omisso*, Matth. XXV, 42. vel *ignorantia*, cuius homo ipse caussa fuerit; habetur meritò voluntaria. Luc. XII, 47, 48. XXIII, 34. I. Tim. I, 13. Act. III, 17. XXVI, 9. Conf. Lib. II. c. 1. Thes. Moral. IV. qu. 1.

Qv. 8. *Eſtne autem peccatum veniale malum quod-dam leve & extenuandum?*

Minimè extenuandum est peccatum veniale: nam, quod non imputetur, non nisi *ex accidenti* fit; ipsum verò voluntati divinæ adversum omnino est, verè & propriè dictum peccatum, ingens malum. Hinc, licet non ipsam mortem completam illico, tamen damnum spirituale infert: militat contra animam, atque hanc polluit, gratiamque imminuit; mox penitus evanescit, si negligantur transgressiones involuntariæ; utpote quæ paulatim voluntatem decipiunt ac subjugant, fiuntq; voluntariæ. Hebr. III, 12. Matth. XIII, 12, 25, 29, 1. Pet. II, 11, 2. Cor. VI, 1. VII, 1. Conf. sup. c. I. th. VII.

*Che*mni*tio* momente, ad considerationem peccati venialis pertinent haec membra. (1) agnoscere, quod nihil boni habitet in carne. (2) dole-

re propter illas sordes. (3) repugnare. (4) petere, ut tegantur illæ sordes propter mediatorem. &c. Qui enim dicunt, non esse peccatum, sed rem indifferentem; non agnoscent, non dolent, non petunt tegi. &c.

Qv. 9. Peccatum involuntariorum annon apud irregenititos quoque est veniale?

Apud irregenitum peccata omnia, ipsa & involuntaria, sunt mortalia: quoniam ipse homo totus peccator voluntarius est, atque ideo una cum fructibus suis quibusvis damnatus, & manens sub ira Dei. Joh. III, 36.

Qv. 10. In quonam ergo consistit formalis ratio peccati mortalis?

Eγρω̄ ἀποστόλου ἀπὸ Θεοῦ γέννητος. Hebr. III, 12. si dolo peccati sic obduretur homo, ut cor defectum fidei malitiosè contrahens, à Deo vivente abscedat. v. 12, 13. Quando enim peccatum consistit in aversione à vero amore Dei, ut hic traducatur ad creaturam; Jer. II, 13. si toro corde sic fiat, privatio unionis cum Deo, & vitæ spiritualis, existit totalis. Matth. XXII, 37. Quoad verò aliquā affectū parte, nec consentiente prorsus voluntate, animus ad res hujus seculi declinaverit; in hoc ipso versantur peccati venialis, atque imminutæ gratiæ gradus. I. Cor. III, 15.

Qv. 11. An non peccatum mortale in ipsis renatis quoque existit?

Omnis qui in Christo manet, non peccat voluntariè. Omnis qui peccat ita, eo ipso non vidit eum neque agnovit eum. I. Joh. III, 6. Renati ergo, quam diu tales sunt, regnare non finiunt peccatum in

in corpore, quantumvis mortali. Röm. VIII, 10.
VI, 12. simulac verò sinunt, desinunt renati esse. 2.
Pet. II, 20, 21.

TH. III.

Irremissibile unum est peccatum, quod vocatur in
in Spiritum Sanctum.

Qv. 1. *Num usus loquendi, quo peccatum dicitur
remissibile & veniale, unum idemque prorsus
denotat?*

Non: sed remissibile peccatum latius patet,
quam veniale; ipsum enim mortale etiam remit-
ti potest, non autem est veniale. Luc. XXIII,
34.

Qv. 2. *Num omnis blasphemia est irremissibilis, seu
peccatum in Spiritum sanctum?*

Non omnem blasphemiam peccatum esse in
Spiritum Sanctum, docet exemplum Pauli, qui se
blasphemum, persecutorem & contumeliosum fa-
tetur, & misericordiam est consecutus apud Deum,
quod fecerit ignorans in incredulitate. I. Tim. I,
13. Marc. III, 28.

Hujusmodi blasphemia, commissa ab ignorantе,
& in incredulitate, dicitur *peccatum in Filium ho-
minis*, quod remitti possit. Matth. XII, 32. cui op-
ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quod re-
mitti nequeat. v. 31. Luc. XII, 10.

Qv. 3. *Si autem blasphemus non fuerit ignorans aut
incredulus?*

Credulitatem non quamcumque hic intelligi,
sed veram fidem, quā quis anteā verē illumina-

F s tus

90 DE PECCATIS [L.II.C.II.]

tus & sanctificatus veritatem agnoverit, testatur Epist. Hebr. c. VI, 4, 5, 6, 7. X, 26, 27, 29. Ubi intelligitur simul: vera etiam illuminatio, quæ cessat in blasphemos, si antecellerit, non quamvis tamen blasphemiam, ex casu aut coactione ortam, tametsi hæc atrocissimum peccatum est, peccatum in Spiritum Sanctum confidere; nisi cum destinata ipsius veritatis abnegatione ac persecutione sic conjuncta sit, ut renovationem ad pœnitentiam seu benedictionem excludat, & homo sit mansurus ~~unpenitentios~~, adversarius, impenitens finaliter. ibid. conf. i. Joh. V, 16.

Qv. 4. Erantne hæc omnia requisita apud Pharisæos, quos Christus peccati in Spiritum S. reos ar-

guit?

Nullum est dubium, quin Dominus, in iis illuminationem intendens, ipsâ efficaciâ divinâ explorârit illorum conscientias, Spiritus Sancti vim eatenus satis persentifcentium, ac nihilominus blasphemantium. Matth. XII, 31, 32. Marc. III, 28, 29, 30.

TH. IV.

Peccata ut varia ob varios respectus dantur, ita & quæ dicuntur aliena, participando verè nostra sunt.

Qv. 1. Quinam respectus ad distinguenda peccata potissimum attenduntur?

Respectus subjecti; unde sunt carnis & spiritus pollutiones: 2. Cor. VII, 1. objecti; adversus Deum, proximum & semet ipsum. 1. Sam. II, 25. Tir. II 12.

Respe-

Respectus ad Deum, tolerantem in hominibus peccata quædam, vel pro ratione temporis, A&t. XIII, 18. XVII, 30. Rom. III, 25. *vel ob imbecillitatem fidelibus incognita,* Ps. XIX, 13. nec minus remissione indigentia. ibid. *Respectus item principiorum agendi internorum, aliarumque circumstantiarum.* Deut. XIX, 6.

Qv. 2. *Gravitas peccatorum diversa unde censemur coram Deo?*

Peccatis peccata graviora esse, apparet Joh. XIX, 11. Talia censemur ex animi humani à Deo secessione, hujusque gradibus, reputatis secundum revelationis & bonitatis divinæ gradus, homini patefactos. Jof. VII, 11. 21. Matth. V, 11, 12. XI, 22. XIII, 12. Luc. XII, 47. 48. Hebr. II, 2, 3.

Qv. 3. *Quænam peccata dicuntur clamantia?*

Quæ vel tacentibus hominibus vindictam à Deo expetunt; qualia vulgo perhibentur quatuor, secundum versiculos:

*Clamitat ad cælum vox sanguinis, & Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.*

Conf. Gen. IV, 10. XVIII, 20. Exod. III, 7. XXII, 23. Jac. V, 4. tum verò peccata omnia, quibus iniquitatis mensura completur. Matth. XXIII, 32.

Qv. 4. *Quænam sunt peccata aliena, nec minus nobis propria?*

Peccatorum alienorum exemplum est Deut. XXI, 7. nostra autem illa fiunt communicando, vel participando: 1. Tim. V, 22. Ezech. III, 18. 2. Cor. VI, 14. Eph. V, 7. 11. 2. Joh. v. 11. Apoc. XVIII, 4. vel jubendo, Matth. II, 16. vel fraudendo, 2. Sam. XVI, 21. vel assentiendo, Luc. XXIII, 51. vel
adju-

adjuvando, Luc. XI, 23. vel approbando, Rom. I, 32. vel excusando, 2. Pet. II, 19. vel defendendo, Act. XV, 39. vel tolerando, 1. Sam. III, 13. conf. cum c. II, 24, 25. vel negligendo, facultatem impediendi; Ezech. XXXIII, 6. 8. preces; c. XXII, 30. vel occultando, Lev. XIX, 17. Matth. XLIX, 15, 16, 17. vel obsequendo, Gal. II, 13. vel conversando, 1. & 2. Cor. V, 9. 11. 2. Joh. v. 10. Apoc. XVIII, 4. vel scandalizando; Matth. XVIII, 6. id quod post mortem durat. 1. Reg. XV, 30. 34. De qualibus versiculi sequentes usurpantur:

*Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed contribuo, & defendo aliena.*

TH. V.

Peccati agnitus ex Lege accipitur, quæ hunc ipsum
in finem Mosis ministerio patefacta est.

Qv. 1. Peccatum unde cognoscitur?

Ex Lege Dei, tabulis mandatorum binis comprehensâ. Rom. III, 20. VII, 7, 8. Joh. XVI, 8. Matth. XXII, 37, 38, 39, 40.

Qv. 2. Num ergo in peccato arguendo Legis Mosaicæ finis atque usus propriè consistit

Oninind. Lex subintravit, ut augeretur ipse lapsus agnoscendus, atque ita lex paedagogus fieret ad Christum; utpote cuius gratia superabundat, peccato verè agnito. Rom. V, 20. Gal. III, 17, 19, 22, 23, 24, 25. Hic est usus legis elencticus, & paedagogicus.

Qv. 3.

DE PECCATI OPPOSITO. [L.II.C.II.] 93

Qv. 3. Speciatne huc etiam, quod Mosis ministerio lex patefacta est?

Quod Angelorum & Mosis, tanquam servorum Dei, ministerio, lex data sit, ita hoc refert Scriptura, ut innuat, post lapsum Legis officium in eo confitente, ut peccatum detegendo, inserviat Evangelio, cuius gratiam ac veritatem ipse filius Dei attulerit. Joh. I, 16, 17. Gal. III, 19. conf. Hebr. I.

THESES MORALES.

TH. I.

Peccato actuali opponitur virtus seu opus bonum, ad quod praestandum purgatio spiritualis ante omnia est necessaria.

Qv. 1. Peccato actuali quid opponitur?

Virtus, seu opus bonum. quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis; si qua virtus, & si qualia est; haec cogitate. Phil. IV, 8. Gal. V, 19. 22. Eph. V, 9. Ad omne opus bonum instructus sit homo Dei. 2. Tim. III, 17. Nec vincitor à malo, sed vince bono malum. Rom. XII, 21.

Qv. 2. Quid necessarium ante omnia est, si quis operibus bonis studeat?

Purgatio spiritualis. Christus semet ipsum pro nobis dedit, ut redimeret nos ab omni iniuritate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum. Tit. II, 14. quæ purgatio est ipsa regeneratio, conversio; & renovatio, continuanda post

94 DE AGNITIONE [L.II.C.II.]
post Justificationem. Eph. V, 26, 27. Joh. XV, 2,
1. Joh. III, 3. &c.

Qv. 3. *An non sufficit bonum propositum?*

Propositum nullum verè bonum est, nisi *ratione ordinis* antecedat purgatio cordis in spiritu ac veritate, ut vires spirituales legem peccati atque mortis subigant. 2. Pet. I, 4. Jac. IV, 8. Rom. VIII, 2.

TH. II.

Purgatio illa requiritur etiam ad peccata cuiusvis generis dijudicanda ac fugienda.

Qv. 1. *Possuntne peccata cognosci ante purgationem spiritualem?*

Purgatio spiritualis quum peccatorum agnitionem supponat, qui purgaturus se est, incipit necessariò à cognitione peccatorum seriā, tanquam primā poenitentiæ parte. Nam & hypocrita certo modo voluntatem Dei novit, & dignoscit quæ discrepant, ex lege institutus. Rom. II, 18. multò magis, qui seriò conversionem meditatur. Quemadmodum verò cognitio peccatorum apud hypocritam est modo *historica*, sic apud convertendum, verè *talem*, illa fit demum vera ac *spiritualis* ex coniuncto purgationis affectu, si quis peccato moriatur cum Christo, h. e. virtute ipsius mortis. Rom. VI, 1. 3. 6. 10. 11. 2. Cor. VII, 9, 10, 11.

Postulunt igitur peccata aliqua cognosci ante purgationem, sed non sine ea verè agnoscere.

Qv. 2. *Num purgatio ipsa nihil aliud efficit, quam ut spiritualiter agnoscantur peccata?*

Efficit hoc purgatio, consistens in verâ poeni-

ten-

tentiā: sed præterea agnitione spirituali mentem sic renovat, ut ipse quoque *intellexus* longè exquisitiūs ac distinctiūs, quām anteā, legis sentium dijudicet, quæque circa eam discrepant: quod negotium apud renatos admittit magis & minus. Phil. I, 10. Rom. XII, 2.

Exemplum Petri ac Pauli docet Gal. II, 12, 13. quōd eo tempore Paulus in purgatione sui fidelior Petro fuerit, ac iusque hinc dijudicārit simulationis peccatum.

Qv. 3. Poteſtne in praxi peccatum veniale diſcerni ſemper à mortali?

Irregeniti mortalia & venialia peccata infinitis modis confundunt, quum ipsis tamen nihil sit purum aut veniale, ſed polluta & mens & conſcientia. T. I, 15 Regeniti ne in temptationibus animum despondeant, necesse eſt, nōrint Scriptura ſemper è lethale venialibus diſcernere. Rom. VIII, 1. Itaque excolentes ſanctificationem in timore Dei, & purgantes ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritū; Cor. VII, 1. quotidiē deponentes onus omne & circumſtant peccatum, ac propositum ſibi certamen conſtant patientiā decurrentes; Hebr. XII, 1. præſtant continuā iſthāc renovatione, ut poſſint ita dijudicare diſcrepantiā, ut ſinceri ſint atque inoffenſo curſu pergant ad diēm uſque Christi. Phil. I, 10.

Qui verò inconstantes fuerint, ſi voluntaria ab involuntariis nequeant dignoscere, temerariæ iſorum est negligentiae. Jac. I, 6, 7, 8.

TH. III.

Lex moralis, veluti norma agendorum

ex-

externa, secundum quam actiones committendæ vel commissæ, omittendæ vel omissæ judicari debent, ita synecdochicè intelligenda est, ut verbum divinum & Veteris & Novi Testamenti integrum sit ejus interpretatione.

Qv. 1. *Lex moralis estne agendorum norma tantum externa?*

Externa dicitur agendorum *norma*, quod ejus littera de voluntate Dei, nostrisque secundum ipsam officiis, testimonium perhibet. Quatenus vero vel lapsu primævo, vel prava consuetudine obliterata, legis notitia ex speculo isto ad animum revocatur, atque instruitur conscientia; norma etiam interna dici potest. Nam si *legis naturalis opus scriptum in cordibus* norma est, multo magis notitia revelata, quā augetur lapsus & peccati agnitione Rom. II, 15. III, 20. V, 20. VII, 16, 17.

Deinde, si lex per fidem est stabilita, Rom. III, 31. tum *Justificatione* in foro divino, tum *Sanctificazione* intra nos; quando Christum induimus, perque ipsum *jus legis completum est in nobis*, quippe qui non secundum carnem incedamus amplius, sed secundum Spiritum; Gal. III, 2-5, 27. V, 5, 25. Rom. VIII, 4. hoc certè in statu non *vetustas litteræ*, sed *novitas Spiritus* norma est, cordibus inscripta; Jer. XXXI, 33. Rom. VI, 17. VII, 6. quæ ipsa & litteram legis novam reddidit. 2. Cor. III, 6, 18.

Qv. 2.

Qv. 2. Estne autem norma illa externa adhuc necessaria?

Omnino. Post lapsum quidem præcepta vivificare nequeunt; quemadmodum leges ceremoniales dicuntur egena in mundi elementa: Gal. III, 21. IV, 9. necessaria autem illa sunt ad peccata sic agnoscenda, ut compellatur animus ad gratiam Evangelicam, ipsiusque vires hauriendas; Rom. VIII 2, 3, 4, 5. nec non deinceps, ut ne, corruptæ rationis quæ sunt, quasi propria spiritus habeantur; vel, error hic ut agnoscatur, & spiritualis cognitio instauretur. Gal. III, 3. V, 1, 13. VI, 16. Rom. XII, 3. Conf. qu. 5. item Jof. I, 7, 8. Jerem. XXXII, 40.

Qv. 3. Lex quomodo hunc in finem interpretanda est?

Præcepta Decalogi sunt *synecdochica*, hoc est plura præcipiuntur & prohibentur, quam quæ expressè nominantur in Decalogo. Deus namque iudicabit secundum & Legis & Evangelii verbum Joh. XII, 48. Rom. II, 16. Unde fit, ut Lex ita latè in *Psalmis* & alibi, sumi soleat, ut comprehenda ipsum Evangelium; contraque Evangelium, latè spectatum, ab obligandi & dirigendi munere non excludatur, sed potius omnia ista officia, quæ à lego profiscuntur, multò uberiorū atque efficaciorū fuggerat.

Qv. 4. Quænam potissimum observanda circa Legis interpretationem?

(I.) In singulis præceptis facienda est talis *antithesis*, ut quando expressâ affirmatione aliquid præcipitur, addatur contraria negatio prohibens: & contrà. (II.)

(II.) Ita & triplex ordo observandus: ut spectentur peccata & opera, (1) exteriora; (2) interiora, quæ etiam ratio aliquo modo videre potest; (3) interiora, quæ sola Ecclesia ex verbo Dei agnoscit. Lex enim non est Politica tantum, aut Philosophica, sed spiritualis. Rom. VII, 14. Ebr. IV, 12.

(III.) Non solum ostendenda illa peccata, quæ in malis operibus sunt, sed etiam oeduvæpia, & multiplies fortes, quæ renatis quoque adhærent, dum caro concupiscit adversus Spiritum. Gai. V, 17.

(IV.) Mentio criminum externorum & crassiorum in præceptis non ad ipsa tantum pertinet, sed præcipue ad magnitudinem & gravitatem interiorum peccatorum referenda est; ut agnoscatur, quanta abominatio coram judicio Dei sint occulta illa vitia, quæ ratio vel contemnit, vel extenuat: ceu clarè videre est 1. Joh. III, 14, 15. Matth. V, 28. Eph. V, 5. 1. Sam. XV, 22, 23.

(V.) Ut sciat, quæ tum peccata, tum bona opera sub quolibet præcepto comprehendantur, constituend⁹ est certus & generalis finis cuiuslibet præcepti: 1. Tim. I, 5. deinde, in quibus rebus hic finis consistat, quæ cum illo sint conjuncta & ordinata, quæ item contraria, repugnantia & impedientia.

(VI.) Semper adhibenda sunt testimonia Scripturæ, ubi hæc tradit explicationem decalogi; monstrantia, quænam ipsum verbum Dei ad unumquodque præceptum referat.

(VII.) Divisio decalogi scitè observanda, quæ ex illis decem, omnium confessione statuendis, ad primam, quæ ad secundam tabulam pertineant. Discriminis ejus magnus est usus: nam, Oportet Deo magis

magis obedire, quam hominibus. Act. V, 29. priuâ que tabulâ neglectâ, sequuntur lapsus tristes in secundâ, quæ sine illâ servari nequit: si quid verò præstetur in disciplinâ secundâ tabulæ, non placet Deo sine affectu erga ipsum, ex priuâ derivando per Christum.

(IX.) *Accommodatio ad singula præcepta non debet nimis exactè institui, modò maneat vera agnitione peccatorum & bonorum operum;* quia Deus ipse generalioribus duobus omnia includit, & Rom. XIII, 9, præceptum de adulterio ponitur ante illud de homicidio.

(X.) *In singulis notandæ comminationes poenarum, & promissiones præmiorum;* quarum aliæ generales, aliæ speciales, aliæ externæ vel corporales, aliæ spirituales & internæ: exemplaque in sacris observanda.

(X.) *Discernenda, quæ ad omnes homines pertinent, & quæ tantum populum Israel, stante illâ Politia, obligarunt;* ut, separatis iis, habeamus purum decalogum Novi Testamenti.

(XI.) *Ostendantur in præceptis singulis,* (1) *quæ ita pugnant cum fide,* ut talia agentes amittant hæreditatem Dei, hoc est, *lapsus contra conscientiam;* (2) *ipse virtutes;* (3) *peccata venialia in renatis,* qui meminerint, contra quot & quales concupiscentias in singulis præceptis pugnare debent, ne peccatum invadat regnum & excutiat Spiritum S. & fidem.

(XII.) *Ad vitandam & præsumptionem Pharisæicam, & securitatem,* circa unumquodque reputemus, quomodo & quatenus etiam fenis in

G 3 , hac

hac vitâ impossibilis sit perfecta impletio, & vera nihilominus, ex fide & Spiritu renovationis, fieri possit ac debeat.

Qv. 5. Quo sensu verò lex justo non est posita,
i. Tim. I, 9.?

Non justis, sed *impiis* lex posita est, ut terreantur, cogantur, & condemnentur ab eâ. Relicta autem est & ipsis *fidelibus*, tanquam *lex ignita*, Deut. XXXIII, 2, licet non ad *effectum* terroris, coactio-
nis, & maledictionis incutiendum; tamen, ut e-
jus *affectu* excitentur subinde ad usum ipsius &
elencticum & *pædagogicum* in renovando mentis
spiritu; tum verò deinde, ad usum ejusdem *dida-
ctico-practicum*: ut contra *carnis imbecillitatem* legis
stimulo utantur, & legis normâ ad *spiritum sponta-
neum* dirigendum ac confirmandum; cultumque
Dei sic assequentes verum, & socordem & *elicitum*
evitent. Phil. II, 12. Rom. XII, 3. Conf. Qv. 2.

TH. IV.

Conscientia, tanquam norma agendorum interna, è
cujus testimonio committenda, vel commissa,
omittenda, vel omissa, sentiuntur bona vel
mala coram Deo, sic penes peccatorem amore
sui corrupta est, ut vix notiora animadvertisat;
Sin purgata fuerit, ad verbum Dei tamen unicè
exigenda, eoque dirigenda est.



Qv. I.

DE CONSCIENTIA.

[L.II.C.II.] 168

Qv. i. Conscientia quid?

Est principium normativum internum, seu iudicium practicum circa actiones, divinitus insitum, ad hominem, juris divini & rerum suarum conscientium, vel consolandum, vel damnandum. Quod si cor nostrum nos condemnat, Deus major est corde, & novit omnia; si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum. 1.Joh.III, 20, 21. 1.Pet.II, 19.

Consistit ita in sciendo, ut simul prescribat agenda, & connotet ipsum intra enim judicii Divini testimonium. 1. Cor. IV, 4. II X, 7. 10. 12. Rom. IX, 1. XIV, 15. Eccles. XII, 11. Unde efficitur conscientia vel bona, vel mala; ac, prout dictamen illud velante, vel post actiones sentitur, est tum subsequens, cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut excusantibus, Rom. II, 15. tum antecedens, vel comitans, ut finis mandati, charitas, fluat ex bona conscientia. 1.Tim.I, 5.

Qv. 2. Dictamen illud animi judiciarii oritur ex intellectu potius, an ex voluntate?

Proficietur omnino utrinque: sed quia posterior eius pars consistit in affectu divini testimonii reconditi, certe ad voluntatem magis, quam intellectum pertinet. Hinc cor dicitur condemnare 1. Joh. I, 16. & ipsa conscientia potissimum cor appellatur; cui propterea, tanquam potiori, & scire & conscire tribuitur. Ecol. VII, 22. novit cor tuum, quod & tu conviciatus sis

G 3

alii

aliis, conf. i. Reg. II, 44. Quando verò Tit. I, 15. scientia ad mentem refertur, ibi discernitur conscientia, tanquam cordi propria; polluta est eorum & mens & conscientia. Tit. I, 15. Corpurgandum à conscientia mala, Hebr. IX, 14. X, 22. conf. i. Tim. I, 5.

Qv. 3. Quodnam est objectum conscientiae normativum?

Judicium ipsius Dei, scrutantis corda & renes, ad cujus, tanquam æterni judicis, tribunal animus arcano quodam impulsu ac sensu trahitur. Act. I, 24 XV, 8. Ps. CXXXIX, 5. Jer. XVII, 10. Referatur autem conscientia ad Deum per medium quoddam, nimirum legem, sive externam, sive internam modò; ex quâ agnità officium exercet in judicando atque afficiendo, hominemqüe vel in pœ, vel in reatu collocat, aut relinquit. Gen. XXXIX, 9. Rom. II, 15.

Ratione effectus & fructus intelligendum, quòd conscientia ad homines quoque, ad quos non dirigitur proximè, extendatur ab Apostolo Act. XXIV, 16, id quod conscientiam subsequentem respicit.

Qv. 4. Antecedentis actiones, ipsasque dirigentis, officium quotuplex?

Duplex: ex sensu judicij divini, obligare, & instigare. Vi obligandi conscientia quam proximè accedit ad legem, ipsiusqüe vim exsequitur; ita pronuncians, in hoc vel eo casu, quidam faciendum aut fugiendum, ut, nisi mos geratur,

ratur, Dei ira & pœna consequutura sit. 1. Cor. lIX, 11, 12, 13. *Instigatur voluntas à conscientiâ,* quando hæc illam dirigendo impellit, monet, urget. 1. Sam. XXIV, 6. 2. Sam. XXIV, 9. Matth. XXI, 29. Act. XVI, 18.

Qv. 5. *Conscientia an errare potest?*

Conscientia spectanda est aliter apud irrege-nitos & impenitentes, aliter apud verè conver-sos. Apud irregenitos veritas detinetur in in-justiciâ, & obtenebratur cor desipiens, ut verita-tem transmutent in mendacium. Rom. I, 18. 21. 25. Traduntur ergò in mentem judicii expertem, ut faciant, quæ haud conveniunt. v. 28. Itaque conscientia in talibus non tantum errare potest, verùm etiam cœco amore sui & mundi tantope-re corrupta est, ut nihil veri aut boni videat aut sentiat, nisi fortè principia quædam maximè no-ta vel obvia; quorum & magis magisque fit im-mor, crescente securitate. Ephes. IV, 18, 19. Eccles. IV, 17. Sirac. XV, 11, 12. Hujusmodi conscientia est fons errorum ac tenebrarum, non alia dictitans, quàm quæ corruptionem fovent atque augent, nisi legis ac judicii horrore per-cellatur, ac deinde purgetur. In statu, vel affe-ctu sub lege, multis etiam modis erratur, præfer-tim excusationibus. Psal. L, 21. Rom. II, 15. Marc. IX, 33, 34.

In verè conversis conscientia sic purgata est, ut crucifixerint carnem cum pravis impulsibus: Gal. V, 24. cor fide purgariint. Act. XV, 9. Custodi-en tes igitur corporum, & bonam conscientiam,

& fidem non fictam, 1. Tim. 1, 5, non sequuntur nunc carnem, sed Spiritum; ad cuius ductum agnoscendum exercitatos sensus renovando acquirunt in dies. Rom. II, 1. XII, 2. 2. Cor. IV, 16. Hebr. V, 14. Hi quatenus tales, rectâ conscientiâ gaudent, neque errare possunt, 1. Joh. II, 27. III, 9. Errare tamen possunt, quatenus mentis, voluntatis, affectuum & sensuum facultates peccato originali adhuc afficiuntur: unde per ipsum infirmitatis peccatum variis modis impeditur conscientia, ut tantum conscientia subsequens dolore officium præstet. Ne autem in judicando erret, exigenda est semper ad verbum legis & evangeli, ut lucifer exoriatur in cordibus. Es. II, 20. 2. Pet. I, 19. Atque ita ex fide, h. e. impulsu veræ fidei, per charitatem se exerentis, judicans, non errat. Rom. XIV, 22. Prov. X, 29. Sir. XIV, 2.

Qv. 6. Conscientia recta quænam est?

Ad eam potissimum tria requiruntur: (1) ut lex indubitato sit vera, Marc. VII, 7. &c. (2) nec in sensu legis percipiendo error, ibid. v. 14. &c. (3) nec ejus applicatio errori in circumstantiis obnoxia, Jac. IV, 3. Ita si ex parte intellectus sit certa, & ex parte voluntatis firma, status optimus est.

Intelligenda autem lex non modo secundum verba, verùm etiam secundum ipsius mentem, Scripturæ S. conformem, quæ interpretatio atque applicatio ut digne fiat, requiritur animus, ad spiritualem legis notitiam perductus, & constitutus in assidua mentis renovatione; utpote quæ necessaria

DE CONSC. AFFECTION. [L.II.C.II.] 105
necessaria est ad probandum, quæ sit voluntas
Dei bona illa, accepta ac perfecta. Rom. XII, 2.
Phil. I, 9, 10.

Qv. 7. *Quænam præterea dantur affectiones conscientiæ?*

Ex conscientiæ defectibus oriuntur hæ affectiones; ut sit, vel *erronea*, vel *dubia*, seu *probabilis*; aut *infirma*, seu *scrupulosa*; aut etiam *præceps* ac *temeraria*.

Erronea conscientia est, quando intellectus judicat bonum vel malum esse, licitum aut mandatum, illicitum sive prohibitum, quod tale non est: *dubia*, quando ita judicat, circa utrumque hæsitans; *probabilis*, si alterum magis præferat, sed non sine formidine oppositi: *infirma*, si voluntas circa agendum hæsitet; *scrupulosa*, si infirmitas ex mentis scrupulo quodam hæreat: *præceps & temeraria*, si purgatione animi nondum fideliter institutâ, quævis sensa judicium matrum antevertant.

Qv. 8. *Quid de affectionibus illis sentiendum, quatenus obligent?*

Erronea conscientia, quum spiritus humani, non divini sit, obligare nequit. Malach. II, 15, 16. Joh. XVI, 2. Act. XXVI, 9, 10, 11. nam quicquid non ex fide, peccatum est. Rom. XIV, 23. Excipi solet error *invincibilis*: qui tamen homini irregenito, respuenti media, quibus errores sunt vincendi, non tribuendus est: nec regenito facile, nisi in *circumstantiis* specialioribus, urgente *vocationis* necessitate; ubi nec obligat conscientia,

utterrōea, sed quatenus pro mensura fidei opus faciendum est. 2. Sam. XV, 11. In cæteris ligat tantum hujusmodi conscientia, non obligat.

Dubiae, & probabilis conscientia, ratio est eadem; nisi, quod hic utrobique sentitur hæsitatio: ubi, si in necessitatibus casu fiducia ad Deum pura est, via tutior ineunda, non sine precibus ardentissimis. Esth. IV, 16. Jon. I, 14. Act. XXVII, 31, 32, 33, 34. &c. Sic etiam, contra insirmitatis, aut seru-puli adhæsionem non temere committendum quidquam: Rom. XLV. in casu autem necessitatis vero superari fiduciā potest ac debet utraque. Matth. XII, 4, 5, 7. Marc. II, 25, 26.

Preceps ac temeraria conscientia assert mala plurima, propterea quod Spiritui caro facilimè admiscetur: contra quem fervorem, licet Spiritus boni opus subfuerit. Apostolus monet I. Cor. XIV, 32, 33, quod Spiritus Sanctus, etiam si operi præsit ipse, nihil tamen immaturi aut præter ordinis externi, nedum interni, rationem effectum velit. 2. Tim. I, 7. Sir. XXXII, 24. sq. Conf. infra de Docimasiâ Spirituali p. 194.

AD TOTUM CAPUT.

Conf. J. Arnd, de Ver. Christ. Lib. I, cap. VII. IX. X. XII. XIII. XV. XXIII. XXXI. XXXVI. XXXVII. Lib. II, cap. I. IV. VII. XVIII. XIX. Lib. III. C. II. IX. X. XI. XII. XIII. XVI. XVII. XVIII. XXII. Lib. IV. C. XXXII. XXXIII. XXXV. XXXVII. XXXVIII. XL.

CAP.

De Viribus naturalibus & Libero Arbitrio.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Naturales vires intellectus, voluntatis, ac reliquarum hominis facultatum, in merè spiritualibus nihil possunt spiritualiter.

Qv. 1. Merè spiritualia quænam dicuntur?

Ta τε πνεύματος θεός, quæ ipsius Spiritus Dei sunt propria, 1. Cor. II, 14. atque ita propriè sunt legis divinæ, ut in Spiritu ac veritate Deus adoretur, cognoscatur, ametur, timeatur, Joh. IV, 24. ipsaque tabula secundæ charitas ut fiat ex puro corde, & bonâ conscientiâ, & fide non fictâ. 1. Tim. I, 5.

Qv. 2. Quænam opponuntur merè spiritualibus?

Non tantum externa opera, cultusque exteriores, sed res omnes, rationi, quatenus sibi relicta consideratur, ullo modo subjectæ: ipsa etiam paedagogica, & quæ spiritualia dici solent, quod vel ad cultum verum eliciendum sint prævia, vel circa objectum spirituale occupentur; ut loqui, cogitare, meditari de Deo; actusq[ue]cū, ex ordine divino ad cultum extēnum requisiti, qui

qui pædagogia religionis appellantur, extra causarum salutis circulum spectata; Rom. II, 17. &c. quod & referendus Zelus pro Deo, salutaris agnitionis expers, tanquam carnis justitia. Joh. XVI, 2, 3. Rom. X, 2. Phii. III, 4. 6.

Qv. 3. Vires naturæ quatenus hic sumuntur?

Vires naturæ, intelliguntur facultatum superiorum atque inferiorum, v. c. intellectus, voluntatis, affectuum ac sensuum; nec modò ut ante culturam existunt rudes, sed etiam si vel maximâ industria ac disciplinæ exercitio rerumque usu anima exulta fuerit, præstans hominem insigniter animalē; quales producit Paulus seculi hujus principes. I. Cor. II, 6. 14. Nec ipse renatis quidem, aut Ministris Ecclesiæ, facultatem, quæ sit ex ipsis, ullam tribuit, idoneam ad quidquam cogitandum verè boni. 2. Cor. III, 5.

Qv. 4. Ergo nihil prorsus valent naturales vires in merè spiritualibus?

Patet hoc exinde, quod omnes humanæ vires post lapsum penitus depravatæ sunt labe originali: hihe enim potentia omni in spiritualibus destitui hominem, testatur Christus Joh. III, 6. VI, 44. 65. XV, 5. & Paulus Rom. III, 10. &c. VII, 14. Eph. II, 1. Coloss. II, 13. agens etiam de præstantissimis conatibus carnis, seu mentis ac voluntatis non renatæ. Rom. VIII, 7. Conf. XII, 2. it. I. Cor. II, 14. Phil. II, 13. & Gen. VI, 3. 5. IX, 21. Joh. I, 13. 1. Tim. I, 7.

Confirmatur idem ex ponderibus & emphasis verbis-

verborum, Ezech. XXXVI, 26, 27. Act. XXVI, 18. I. Cor. XII, 3. Eph. I, 17. II, 5. IV, 7. Phil. II, 13. &c. ex necessitate verbi, tanquam medii, Joh. XVII, 20. Rom. X, 17. I. Pet. I, 23. Jac. I, 18. ipsarumque precum. Ps. LI, 12, 13. CXIX.

*Qv. 5. Si homo nullis ad spiritualia efficienda
pollet viribus, annon impenitentibus binc
excusandi locus est?*

Non: si enim, qui naturalem modò notitiam Dei acceperunt, inexcusabiles sunt; Rom. I, 29. nihil certè excusationis erit his, quibus notitia Dei non modò revelata de lege, sed etiam de Evangelio contigit, immo ipsæ vires credendi ad salutem sufficientes offeruntur. Act. XVII, 31. Rom. I, 16. X, 18. Ps. XCIV, 10. conf. p. 8, 9.

TH. II.

Naturales vires in rebus naturalibus, moralibus, civilibus, œconomicis, artificialibus, ipsisque paedagogicè spiritualibus, aliquid valent, ut homo liberè possit agere & non agere, idque ipsum hoc vel illo modo.

Qv. 1. An post lapsum relictae sunt vires ita libere agendi in naturalibus?

Vires utroque modo liberè agendi in rebus cuiusvis generis naturalibus relictas esse, testatur conscientia, quā ipsi ethnici se accusant atque excusant, Rom. II, 14, 15. ipsique Judæi, justitiae Dei non subjecti, propriam justitiam studebant constituer, c. X, 3. nec non spiritualia, paedagogicè talia

110 DE IMPEDIMENTIS [L.II.C.III]
talia, præstabant. Act. XIII, 27. Rom. II, 17. &c.
Accedit experientia in quibuslibet actionibus:
Matth. XXI, 29, 30. Joh. VII, 6. præmia item pro-
posita, & poenæ cum admonitionibus, idem edo-
cent.

Qv. 2. Cujus autem sunt in aolis illa opera ex
naturæ corruptæ viribus, ut præmia inde
consequi possint?

Sunt apparet bona, quatenus legi conformia
censemur, exhibentque virtutis exemplum ac
testimonium: unde & dicuntur legis opera, Rom.
III, 20. justitia carnis, Phil. III, 4. reportantque præ-
mia terrestria coram hominibus hujus seculi.
1. Reg. XXI, 29. Matth. VI, 5.

Non autem sunt verè bona: quoniam profici-
scuntur apud irregenitos non ex fide, sed ex amo-
re sui; non propter gloriam Dei, sed commodum
ac honorum suum suorumq[ue] ab ipsis fiunt. Joh.
V, 44. Rom. XIV, 23. Hebr. XI, 6.

Qv. 3. Num verò libertas illa agendi in naturali-
bus plenaria est statuenda?

Minimè; sed libertas sic agendi, & externam
justitiam efficiendi, tantùm aliquo modo supereft;
(1) ob virium naturalium imperfectionem, conf.
p. 23. 26, 27. (2) propter impedimenta apud ipsos
homines interna, sita in pravis affectibus, vel deſe-
ſibus variis; nec non (3) externa, ab homini-
bus, vel dæmonibus: tum etiam (4) propter ipsi-
us Dei potestatem absolutam. Rom. VII, 5. Eph. II,
2. 2. Tim. IV, 15. Jer. X, 23. Jac. IV, 13, 14, 15. Si ve-
rò Satanas impedire potuit Apostolos, quanto ma-
gis nondum conversos! 1. Thess. II, 18.

Qv. 4

Qv. 4. *Libertas illa quomodo appellari solet?*

Libertas à coactione externâ, & necessitate internâ. Licet enim adducta impeditamenta partim cogere, partim necessitatem inferre videantur: tamen, quām diu agitur de statu ordinario, ante conversionem circa moraliter bona, vel mala bonis spiritualibus opposita, versante; hic neque violentam coactionem, nec fatalem necessitatem admittit, verūm iis amissæ libertatis reliquiis utitur, ut timoris Dei freno se ad mala fugienda, & facienda bona applicare, & continere servilit̄ r̄ possit; nec facultatem electionis propriam naturalem exsuat, nisi unā cessante sensu conscientiæ, aut rationis usu: id quod utrumque extraordinarium est, ut Eph. IV, 19. Matth. XVII, 15. confer. lib. I. c. III. Th. II. moral.

Cæterūm non negatur eo ipso, quòd coactio subfit internæ hypocrisie in bonis illis; & in malis, necessitas hypothetica ex parte hominum, vel judicialis, ex parte hominum, atque ipsius Dei: nihil autem hujusmodi tollit actionum humanarum libertatem moralem; sed, hæc confitere simul potest & cum rerum contingentia, & cum indifferentia voluntatis ad utrumlibet. Matt. XVIII, 7. Luc. IX, 39. 2. Thess. II, 11, 12. Necessitas faiialis circa res, non moraliter spectandas, huc non pertinet.

TH. III.

Arbitrium ante conversionem, non liberum à peccati dominio seu servitute est; liberatur

ratur autem ipsâ conversione ac regeneratione: liberatumque deinceps, ac renovatum, ex collatis Spiritus Sancti viribus liberè operatur, & cooperatur bona.

Qv. 1. Arbitrium quomodo theologicè sumitur?

Arbitrium, theologicè sumtum, est potentia seu vis quædam in homine, mentis ac voluntatis potissimum, circa malum & bonum, spiritualiter spectatum, post lapsum liberè vel secus versandi.

Qv. 2. Daturne post lapsum libertas à servitute, seu dominio peccati, ante conversionem?

Non datur: sed ante conversionem arbitrium servum esse, docet Scriptura. Joh. Vlll, 34. Rom. VI, 17. 20. Heb. II, 15. 2. Pet. II, 19. captivum. I. Cor. VI, 12. 2. Tim. II, 26.

Qv. 3. Hujusmodi verò captivitas annon violentam coactionem infert ad malum?

Quàm diu spiritualis hæc servitus & captivitas spem pœnitentiæ relinquit, nec ipsam ebrietatem in malo, aut judicii divini gradus extremos contraxit ultrò; 2. Tim. II, 26. Tit. III, 11. violentiam quidem intentare impiis solet Satanæ, sed coactionem perficere nequit, quoad resistere voluerint. Jac. IV, 7, 8, 9. Interim servitutis laqueis tenentur, lege peccati & mortis.

Qv. 4. Quomodo & quando arbitrium liberatur?

Arbitrium hominis per regenerationem à servitute peccati liberatur, si peccati corpus, seu peccatum originale, unà cum membris, affectibus pravis, inefficax virtute mortis Christi redditur, ut ne amplius peccato servigatur, sed Spiritus vitæ in

in Jesu Christo animum à peccato ac morte vindicet. Rom. VI, 6. VIII, 2. Coloss. III, 5. 8. ut fides victoria de mundo existat. I. Joh. V, 4.

Loquimur de fide, quæ resistit terroribus conscientiae, quæ erigit & consolatur per terrefacta corda. Talis fides neque facilis res est, ut somniant; neque humana potentia, sed divina potentia, quâ vivificamur, quâ Diabolum & mortem vincimus. Coloss. II, 12, 13. *Apolog. p. 108. 109. Nec apprehendunt promissionem, nisi qui verè credunt, & fide peccatum vincunt & mortem.* ib. p. 112. *Sicut terrores peccati & mortis, non sunt tantum cogitationes intellectus, sed etiam horribiles motus voluntatis, fugientis judicium Dei: ita fides est non tantum notitia in intellectu, sed etiam fiducia in voluntate.* Hæc fides remissionis peccatorum, quæ verè & ex corde assentitur promissioni gratiae, non sit sine magno agone in cordibus humanis. ib. p. 124. 125.

Qv. 5. Liberatum arbitrium quomodo operatur & cooperatur bonum?

Liberè, ut veritatem haud amplius detineant in injustitiâ, sed spiritu Dei se duci patientur: quæ servitus justitiae, signum adoptionis, & libertas vera est, vitam æternam pariens. Rom. I, 18. VIII, 14. VI, 18. 22. Joh. VIII, 36.

Quam primum Spiritus S. per Verbum & Sacramenta opus suum regenerationis & renovationis in nobis inchoavit; reverè tunc per virtutem Spiritus Sancti cooperari possumus ac debemus: quamvis multa adhuc infirmitas concurrat. Hoc verò ipsum quod cooperamur, non ex nostris carnalibus & naturalibus viribus est, sed ex novis illis viribus & donis,

H

quæ

quæ Spiritus S. in conversione in nobis inchoavit. In quam sententiam D. Paulus expressis verbis graviter hortatur, ut curemus, ne, tanquam Dei cooperarii, frustrà Dei gratiam acceperimus. Quod tamen sic. & non aliter intelligendum est: hominem jam consum tantum atque tam diu bene operari, quantum & quam diu à Deo per Spiritum S. ducitur, regitur & gubernatur. Libr. Symb. p. 674. conf. ib.p. 582.

THESES MORALES.

TH. I.

Principium agendi, seu actionum, apud nondum conversos caro est, apud renatos autem Spiritus seu fides.

Qv. 1. Moralitas actionum unde censetur?

Moralitas actionum, sive, an bona vel mala, talis quæ an magis vel minus sit actio, censetur, ex principiis agendi, internis atque externis; non tantum normativis, lege & conscientia, sed etiam applicatis, nimirum ipsis animi inclinationibus, sive directis, sive indirectis. Matth. XII, 33-37. Hebr. IV, 12. Conf. cap. II. Th. Doctr. IV. qu. 2.

Qv. 2. Principia hæc agendi quænam sunt?

Apud renatos est fides, quatenus spontaneâ electione & proæfesi versatur circa bonum. Rom. XIV, 23.2. Cor. IV, 13. apud nondū conversos, vel lapsos, est caro. Rom. VII, 22, 23. VIII, 5.-14. Illud principium est supernaturale, oriundum ex gratia, quæ virium naturalium corruptionem subegit, ut ne dominetur: hoc ex naturâ corruptâ principiū est, per quod homo optima quæque amore sui corrumpit. Marc. VII, 12, 22, 23

Qv. 3.

Qv. 3. Specialiora agendi principia num ad cognitionem peccatorum quidquam conferunt?

Apud impios quidem omnia peccata censentur voluntaria, hæc ipsa tamen agnoscunt gradus; qui judicantur exinde, si quis sponte, consulto, ex proæfesi ac voluntate magis minusve egerit, secundum carnis illud dominium. Luc. XII, 47, 48. Ebr. X, 26, 28, 29. Peccata etiam involuntaria distinguntur à voluntariis ex eo, quod illa non proficiuntur ex consultatione, penitusque aut proprius ab ea absint; hæc vero proæretice fiant. 1. Cor. III, 2, 3. Vl, 7, 8. 1. Tim. VI, 9.

Qv. 4. Quid vero sentiendum est de externis actionum principiis?

Externia sunt objecta & circumstantiae, quarum prima moraliter est finis. Nec vero ex principiis agendi externis aliter judicandum, quam internum status admiserit. Act. VIII, 20, 21, 22. Hinc Zelum Judæorum cultus Dei, quem perverse pretexebant finem, reddere justum haud poterat, quia error ex animi defectu malitioso oriebatur. Joh XVI, 2, 3. Rom. X, 2, 3.

Observandum quoque, actionem, in ordine ad objectum, spiritualiter bonam esse potuisse, nisi impedirent circumstantiae, & contraria: veluti circumcisio Titi, diverso respectu. Gal. II, 3, 4, 6.

Th. II.

Apud renatos utrumque sentitur agendi principium, Spiritus & caro; sed iste dominando, hæc afficiendo, quam diu libertate illi non abutit volunt.

H 2

Qv. I.

Qv. 1. Potestne utrumque agendi principium apud
renatos adhuc se exserere?

Omnino. Caro concupiscit adversus Spiritum,
Spiritus autem adversus carnem: hæc vero inter
se opposita sunt, ut non, quæcumque volueritis, ea-
dem faciatis. Gal. V, 17. Rom. VIII, 1. 4. 13.

Qv. 2. Renati quād diu tales permanent?

Quād diu affectus carnis non transit in do-
minium: quod si Spiritu ducimini, non es sis sub
lege. Gal. V, 18. Rom. VI, 12. 14. VIII, 13, 14.

Qv. 3. Caro unde ansam repetit emergendi ad
dominium?

Caro libertatem arripit, tanquam occasionem
ad dominium recuperandum. Gal. V, 13. Desi-
nunt autem verè liberi ac Dei servi esse, qui liber-
tatem malitiæ velamen habent. 1. Pet. II, 16. 2. Pet.
II, 19.

TH. III.

Usus liberati arbitrii, seu libertatis, fit abusus, redi-
ditque illud paulatim servum ac captivum, ubi
ex circumstantiis carnis vires irritantur: neq; hoc
in casu res ullæ indiferentes manent.

Qv. 1. An non renatis securè libertate suâ in re-
bus non malis utilicet?

Liceret, si peccato originali destituerentur:
quando autem hoc apud eos supereft, contra ani-
mam ipsam militans; solicitudine semper opus,
re

LIBERTATIS. [L.II.C.III.] 117

ne caro pravam concupiscentiam tegat nomine libertatis, quæ ipsa non pro carne, sed pro Spiritu data est. Hinc illud: *Videte! Gal. V, 13. 1. Pet. II, 11. 16. 1. Cor. IX, 25. Sir. XXI, 2. XXXII, 25, 26.*

Qv. 2. *Libertas nonne ad carnem æquè ac Spiritum spectat?*

Caro, ut spiritui opponitur, designat indolem carnis corruptam ac pravam; cui, tantum abest, ut libertas Evangelii locum relinquat, ut potius ab eâ in libertatem animus vindicetur. Sin *corpus* denotat caro, nihil tamen libertatis illuc referri aliter debet, quam ut Spiritus ductu rerum usus sic tempcretur, ne ad corporis cupiditates mentem irritet. Rom. XIII, 14.

Qv. 3. *Quid periculi ex usu rerum liberiore?*

Uſus rerum justo liberior tantum non modò periculum, sed detrimentum ipsum affert, ut ab iis etiam, quæ alioqui licent, homo in captivitatem redigatur: animus enim, qui forte liberatus fuerat, redditur paulatim affectuum pravorum & peccati servus. 1. Cor. VI, 12. Rom. VI, 16, 2. Pet. II, 20.

Eo ipso, quod non abstinetur à cupiditatibus carnalibus, militantibus adversus animam, 1. Petr. II, 11. peccatum decipit, atque indurat hanc ipsam. Hebr. III, 13.

Qv. 4. *Quid sentiendum ergo de usu rerum & actionum indifferentium?*

Res & actiones *indifferentes* dicuntur, quæ ex se moralitatem nullam habent: h. e. in se spectatae nec secundum, nec contra legem sunt. v. c. mouere, vestire corpus, edere, &c. Quoniam verò

et rea eas versatur agens ex internâ inclinatione, quæ simul externa obiecta ac circumstantias respicere solet; moralitatem certè ex animi statu vel affectionibus accipiunt. Rom. XIV, 14. 20. 1. Cor. VIII, 8, 9. Quocirca irregenitis nihil est indifferens. Tit. I, 15.

Apud renatos ipsæ res & actiones, alioqui indiferentes, non tales manent, quando verè in Dei honorem fiunt, tanquam bonæ. 1. Cor. X, 31. aut, quando ex earum usi Spiritus fidei ac charitatis, erga Deum & proximum, vel laeditur, vel tollitur: quo ipso abusus absorbet usum, eásque poluit. Quod quidem fit semper ita, ut caro libertati Spiritus sese admoveare atque immiscere ausit, impediátque justam dispensationem ipsius fidei ac charitatis. Fit autem ita dupliciter: (1) si utendi modus carnis cupiditatibus locum præbeat, vel ex ipsis proficiscatur: sic enim laeditur atque impeditur Spiritus fidei ac charitatis erga Deum. v. c. saltando, potando. 1. Cor. X, 6, 7. Eph. V, 18. superbiendo. 1. Petr. III, 3, 4. (2) si utendi modus abutendi ansam aliis præbeat, vel infirmis sentiendi aut agendi contra conscientiam. Rom. XIV. 1. Cor. VIII, 2. Cor. VI, 3, &c.

Res autem & actiones, quæ latius consideratæ dicuntur adiaphoræ (quatenus existere videntur circa consultationem, quæcumque ut huic obnoxiae, in agendo sunt morales) haud confundendæ cum Ecclesiasticis ceremonialibus adiaphoris, seu illis ritibus, qui ad salutis fundamentum non pertinent, neque à Deo ipso præcepti sunt.

AD

INDIFFERENTIBUS.

[L.III.C.I.] 119

AD TOTUM CAPUT

Conf. J. Arndt. de Vero Christ. Lib. I. cap. XVI.
XXXI. XXXIII. XXXIV. XXXVII. XL. Lib. II. c. V. VI.
XXXIV. Lib. III. cap. II. IV. V. VI. IX. X. XI. XII.
XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. Lib. IV. cap. XVII.
XVIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV.
&c.

LIB. III.

De Gratiæ subsidiis ad instauran-
dam imaginem divinam in ho-
minibus.

CAP. I.

De Gratiæ Sanctificantis acti-
bus.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Gratia in Scripturis denotat utrumque Redemtionis fructum, Remissionem peccatorum & Sanctificationem, utpote quibus imago Dei instauratur in homine.

Qv. 1. Unde subsidia, quibus imago Dei in homini-
bus instauretur?

Subsidia illa divinitus per Christum in homines derivantur à Spiritu Sancto: ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

H 4

Nam

Nam lex per Mosen data est : gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Joh. I, 16, 17. In Filio Dei habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ipsius, quam redundavit in nos omni sapientia ac prudenter. Eph. I, 7.8. conf. c. IV, 21. 24.

Qv. 2. Quid ergo denotat in Scripturis gratia?

Gratia in Scripturis, ubi agitur de salute æternâ, potissimum denotat utrumq; Redemtionis fructum, Remissionem peccatorum & Sanctificationem, seu Regenerationem; atque hinc appellatur *Gratia Iesu Christi*, ut Act. XV, 11. 2. Cor. Xlll, 13. Tit. III, 5, 6,7.

Sæpe autem fructus illi discernuntur, ut à gratiâ, tanquam favore Dei gratuito & misericordiâ, in Christo patefactâ, Luc. I, 30. Act. VII, 46. cuius synonyma sunt φιλαρθεωπία, χειρότης, Tit. III, 4, 5. distinguantur dona gratiæ sanctificantia, & regenerationis opera, ut Rom. V, 15. & interdum aliter denominantur, v.c. veritas; Joh. I, 14. 17. vel isthac etiam vocabulo *gratiæ* exprimantur, & supponatur simul *gratia* divinæ misericordiæ: ut Rom. XII, 3. 6. 1. Cor. XV, 10. 2. Cor. I, 12.

Qv. 3. Quomodo instauratur imago Dei utroque Redemtionis fructu in homine?

Remissio peccatorum est fructus remotivus, ut he peccata in foro divino obstant gratiæ viribus conferendis atque obsignandis; *positivus*, est *Sanctificatio*, seu *Regeneratio*. Heb. X, 16, 17. &c.

Hæc est *benedictio* *Abrahæ*, quæ non nisi in Jesu Christo; *promissio spiritus*, quæ non nisi per fidem acci-

accipitur: Es. XLIV, 3. Act. III, 25, 26. Gal. III, 8. 14.
16. nec multis, sed *uni dicta*, nempe Christo, in quo
nulli spectantur alii, nec remissionem peccatorum
atq; hæreditatem consequuntur, nisi qui ipsius spi-
ritum habent. v. 16. 29. Rom. VIII, 1. 9. unde fide-
les dicuntur in *Iesu Christo esse*, ipsius *Christi esse*,
ib. & Gal. V, 24. & *Christus in iis*. Joh. IV, 10. VI, 68.
XVII, 26. XIV, 21. 23. Rom. VIII, 10. 1. Cor. I, 6, 7. XII,
1. 3. 2. Cor. XII, 9. 2. Cor. XIII, 5. Gal. I, 1, 2. 16. IV, 6.
Eph. I, 3. III, 5. Col. I, 27. Phil. III, 8. 10. 2. Tim. I, 9, 10.
Tit. I, 2, 3. 1. Pet. 1, 3. 1. Joh. IV, 16.

Qv. 4. *Gratiæ illius applicatricis opus incipitne
a Remissione peccatorum, an à Sanctifi-
catione?*

Sanctificatio ut latè h̄c sumitur, significans i-
psum regenerationis opus cum actibus & prævis
& constitutivis; instaurandæ imaginis divinæ, per
redemptionem Christi applicandam, initium facit, eo
ipso, quod credendi virtus & offert & accedit, sine
quibus accipi nequit promissio de peccatorum re-
missione. 1. Cor. VI, 11. 1. Thess. IV, 7.

Actus gratiæ hujus sanctificantis sunt: *Vocatio*,
Illuminatio, *Regeneratio*, *Conversio*, *Penitentia*:
non, ac si inter se omnes illi reapse differant, sed
prout ex diversis respectibus sic denominantur.

TH. II.

Vocantur omnes ad imaginem Dei intrâ se in-
staurandam, sufficiente cum efficaciâ; quæ
& præveniendo, & præparando, & operan-
do, & cooperando & stabiliendo, se exscrit;

verum ita, ut resistere possint homines, contemnentes vel negligentes gratiam incredibilem.

Qv. 1. Quid ex Scripturæ usu est vocatio?

Est actus gratiae sanctificantis, quo Deus hominibus testatur, quod omnes velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: sive testimonium illud fuerit generalius, sive specialius accesserit de Mediatore ac Redemptore Christo Jesu. 1. Tim. II, 4, 5, 6.

Ad generaliorem pertinet naturalis notitia Dei, de qua Rom. I, 21. Act. XIV, 17. XVII, 27. item lux Ecclesiæ Judaicæ coram Ethnicis: 2. Reg. V, 3. & Christianæ coram incredulis, 1. Theff. I, 8. IV, 12. quæ tamen utraque, spectata cum specialioribus gratiæ subsidiis, ad specialem vocationem pertinet.

Qv. 2. Specialior vocatio daturne universalis ratione omnium?

Simpliciter credendum Verbo, quod Deus, quantum in ipso, verè omnes homines velit servari, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. II, 4. nolens aliquos prire, sed omnes ad penitentiam reverti. 2. Pet. III, 9. ita ut Evangelium praedicatum sit omni creaturæ, quæ sub cœlo est. Col. I, 23.

Universalis solennior observatur humano generi contigisse trinis vicibus: (1) Ad protoplastos post lapsum. Gen. III, 15. (2) post diluvium ad Noachum & posteros, ib. c. IX, 9. collatâ simul Noacho prophetias virtute, v. 27. qui erat

CON-

concionator justitiae. 2. Petr. II, 5. (3) post consummatum Redemtionis opus, missis Apostolis in mundum universum. Matth. XXVIII, 19. Rom. X, 18. Conf. Matth. [XXII], 1. - 14.

Privatio ejus in posteris non sine cauſa ipſorum quæ culpa est, qui & ſemet ipſos non eſſe inexcubiles, naturæ lumine abutentes, produnt. Rom. I, 20. Cæterum, ſi nobis judicia Dei ſunt inſcrutabilia, & viæ imperveſtigabiles, veneranda eſt sapientia ejus & iuſtitia; quum ex ipſo, & per ipſum, & in ipſum omnia ſint, nec poſſit non re-ctiſſime omnibus consulere. Rom. XI, 33, 34, 35,

36.

Qv. 3. *Num verò omnibus & ſingulis, quos ſpeciali vocatione dignatur Deus, eadem vires credendi offeruntur?*

Particularis vocatio eſt quidem vel ordinaria vel extraordianaria, ſed vires tamen credendi eadem omnibus offerantur. Offertur enim omnibus fides, quæ fundatur in Christi refuſatione: Act. XVII, 31. pollens efficacitate roboris potentia Dei, quam exferuit in Christo, cum excitavit eum ex mortuis. Eph. I, 19, 20.

Extraordinaria autem, dicitur vocatio à circumſtantiis, & mediis pædagogicis; quæ ſupra communem fortem divinitus adhibentur apud non nullos, ut Abrahamum, Magos, Paulum, Auguſtinum.

Ordinaria media, ſita in Verbo Dei prædicato, ſunt coſminationes Legis & promiſſiones Evangelii. Matth. XXII, 3. &c. Ipiſa quidem vocatio-nis efficacia, actu completo ſalutaris, proſcificitur

ex

ex Evangelio, quod est *potentia Dei ad salutem cuivis credenti*, Rom. I, 16. Gal. III, 2. *propriumque Spiritus Sancti officium in vocando conficit*; hoc ipsum tamen indiget *officii Legis præmittendi*, Joh. XVI, 8. quod *alienum dicitur*, suoq[ue] modo & efficax & necessarium est, 2. Cor. III, 6, 7. *quatenus Evangelio viam sternit, impedimenta removendo*.

Ad ea ordinaria proxime ex *pædagogicis accedit crux seu afflictio*, propterea quod vices Legis exercet ac juvat, debilitans carnem: *hujus enim pravitate non infirmatâ, nec conversio, nec renovatio vera existit*. Esa. XXVIII, 19. Ut nempe efficacia spiritus divini apud animum se exserat, carnis robur, quod illa impeditur ac retunditur, lexq[ue] infirmatur, Rom. Vlll, 3. frangi ac enervari debet. 2. Cor. XII, 9. Conferenda *Psalmorum testimonia*, XIX, 36. CXIX, 67. 75. CXIX, 21. LXXVIII, XXXII, 9. Quæ acriora remedia ut trahunt ac compellunt, Luc. XIV, 23. ita *bonitas divina dicit & invitat*. Rom. II, 4. XI, 22.

Qv. 4. *Vocatio hæc estne resistibilis?*

Homines divinæ vocationi resistere posse, testatur ipse Deus Rom. X, 21. 16. & Esa. LXV, 2. LIII, 1. conquerens, se toto die expandisse manus suas *ad populum rebellem & contradicentem*: & Christus, se voluisse, Judæos autem noluisse Matth. XXIII, 37. Eosdem vocat Stephanus duros & incircumcisos corde & auribus, semper resistentes Spiritui Sancto. Act. VII, 51. conf. Act. XIII, 46. Gen. VI, 3. Hebr. IV, 2.

A Saulo recessit Spiritus Sanctus cum gratiâ
ope-

operante & cooperante, quia ipsi contrarium voluntatis actum opposuit. 1. Sam. XVI, 14.

Qv. 5. Unde existit tanta repugnantia apud impenitentes?

Repugnantia est duplex: alia *naturalis*, ex corruptione communis omnibus, ut nec audientis Lydiæ cor patefactum fuerit, donec aperiret Deus. Act. XVI, 14. alia est *voluntaria, affectata, morosa*, cum ex proæresi, contemtu vel neglectu pertinaci, veritas repudiatur, & amatur injustitia. Luc. VII, 30. Joh. V, 39, 40. 2. Thesl. II, 10, 11, 12.

Hujus amentia inde est, quod, qui vocantur, divinæ vocationis terminum, nec à quo, h. e. humanæ corruptionis miseriam, quam ipse Deus respiciens tangitur misericordiâ infinitâ: Ezech. XVI, 5, 6. 2. Tim. I, 9. nec ad quem, h. e. vitæ æternæ gloriam, 1. Pet. V, 10. III, 9. 1. Thesl. II, 12. 1. Tim. VI, 12. Phil. III, 14. dignè considerent, Quocirca si Paulus Ephesis conversis illuminatos mentis oculos adhuc precatur ad sciendum, quæ & quanta spes vocationis proposita sit; Eph. I, 17, 18, quanto magis illis, quorum corda opplata sunt amore hujus seculi, si converti velint, preces sunt necessariæ, ut tantam miseriam suam, & tanta bona opposita, intueri justo modo possint!

Qv. 6. Sed num vocatio circa finem illum, in vita æterna possum, immediate versatur?

Non: sed excitat ille humanam imbecillitatem,

tem, ut eò magis solliciti simus de fine proximo seu *intermedio*, sine quo extremus non obtinetur. 1. Joh. III, 3. 2. Pet. III, 11, 12, 13, 14. Proximè autem Vocatio intendit apud nos *purgationem, sanctificationem*, ibid. & 1. Thess. IV, 7. V, 23, 24. Eph. V, 26. quæ est ipsa imaginis divinæ instauratio. 2. Cor. III, 18.

Intermedius hic finis divinæ vocationis, secundum varios respectus appellari solet in Scripturis: v. c. Sancti sic vocati à Deo dicuntur è tenebris in *admirabilem ipsius lucem*; 1. Pet. II, 9. ad libertatem, non carnis, sed *Spiritus*, Gal. V, 13. ad pacem, Col. III, 15. & charitatem, ex una omnium spe vocationis; Eph. IV, 4. ad *passiones*. 1. Pet. II 20 21. Sed primarius respectus est, quod, quemadmodum ipsa vocatio grata fundatur in redemtione Filii Dei, 1. Tim. II, 6. Hebr. II, 12. 14, 15. Tit. II, 14. ita ex eâdem perducat homines proximè in communionem Filii, ut isti hunc Dominum agnoscent, 1. Cor. I, 9. & ex uno Patre sint omnes, & qui sanctificat, & qui sanctificantur: quam ob causam nec erubescit Filius eos *fratres* vocare, Hebr. II, 11. & constituitur fratrum istorum *Vocator*, v. 12. vocans peccatores ad poenitentiam, Math. IX, 13. & quietem, c. XI, 28. Rom. I, 6. tanquam pueros à Deo *datos*, Hebr. II, 13. *tractos*, audientes, discentes. Joh. VI, 44, 45. Atque hæc communio Christi inchoat unionem cum Deo. c. XVII, 21, 22, 23. Conf. sup. p. 121. qu. 3.

Observanda h̄ic etiam *analogia reciprocanda*. Venit Filius Dei in consortium vocandorum eatus, ut carnem & sanguinem similiter assumeret,

ret. Hebr. II, 14. Phil. II, 7. propter peccatum, ut peccato per peccatum damnato, Rom. VIII, 3. 2. Cor. V, 21. & morte per mortem abolitam, Heb. II, 14. miseros Diaboli potestati eriperet, v. 15. & redimeret ab omni iniquitate, sibiisque ipsi purificaret populum (*περιέσων*) peculiarem, (*ξηλωτήν*) studiorum bonorum operum. Tit. II, 14. Missus ita in communionem nostri, ut vocet nos in sui communionem, nosque ipsius vibicibus sanati, & peccatis mortui, justitiae vivamus, sequentes exemplar & vestigia passi pro nobis. 1. Petr. II, 20, 21. 24. Itaque per Filii sui communionem instauratus Deus imaginem sui in hominibus, quos praescivit, etiam prædestinavit, conformandos imagini Filii sui, ut is sit primogenitus, inter multos fratres. Rom. VIII, 29 nec quisquam ejus sit, nisi qui ipsius Spiritum habeat; v. 9. sed idem sit affectus in fidelibus, & in Jesu Christo: Phil. II, 5. ita vero diligentes Deum, sciant, quemadmodum Christo, pariter & sibi omnia cooperari in bonum, v. 9. Rom. VIII, 28. ipsa quoque adversa, quorum causa non minus gloria possint, quam de spe futuræ glorie, quia exspectationem istam, & thesaurum fidei præsentem, illa adaugeant. v. 18. 30. c. V, 2. &c.

Qv. 7. Supereft, an omnibus ac singulis sufficiens gratiae efficacia offeratur?

Etiamsi non omnibus extraordinaria vocatio contingat; quod tamen gratia ex intentione Dei sufficenter efficax sit, quam vocantur, Christus docet

docet Joh. VIII, 31. sermone *conditionali* de iis, qui crediderant, affirmans, discipulos veros nimirum esse, si manerent in doctrinā prædicatā: subiungensquē caussam, propter quam alii non credant; quod in ipsis doctrina Christi eadem locum nullum reperiat, quem habeat in aliis. v. 37. Docent idem effectus salutares, universaliter Evangelio tributi: Act. XVII, 30. Col. I, 28. Tit. II, 11, 12. nec non *Zelus* Dei erga ipsos imponentes, suprà adductus. Quo referendi & gradus gratiæ prævenientis, præparantis, operantis, cooperantis, stabilientis; etiam atque etiam testantes, quām seriō vel minima initia Deus adaugere intendat, secundum illud Christi: *Videte, quomodo audiatis: omni enim habenti dabitur.* Luc. LX, 18. Conf. 2. Cor. V, 20. Act. XIII, 48. conf. 1. Paral. XXIX, 9.

Qv. 8. Sed, si fide accipitur spiritus promissio, an non fides ex humanis viribus?

Quando ad Gal. III, 13. dicitur promissio spiritus per fidem accipi, fides opponitur legi, significans verum Evangelii usum. Hunc autem non fieri humanis viribus, dictum est ibid. v. 2. & 5. sed ita, ut Deus ipse ex auditu fidei subministret spiritum. Nihil ergo amplius hinc sequitur, quām audiētibus Verbum Dei, ipsiusque veritati atque ordini haud renitentibus, dubitandum non esse, quin ex verbo fidem, & per fidem promissas spiritus vires accipient.

Ita exercebat auditum verbum efficaciam suam, licet ille Marc. IX, 24. non sentiret, clamans: *Adjuva incredulitatem meam!*

Qv. 9.

DE GRATIA PRÆVEN. PRÆPAR. [L.III. C.I.] 129

QV. 9. Quænam verò sunt graduum illorum, seu motuum gratiæ, fundamenta ac propriætates?

Gratia præveniens fundatur in eo, quod nec incipere sit nostrum; sed bona cogitatio, desiderium, propositum, sit donum Spiritus Sancti. 2. Cor. III, 5. Phil. I, 6. II, 12. Ad eam referri paedagogice possunt omnia divina beneficia, & actiones externæ disciplinæ. Act. XLI, 27. Notitia etiam Dei naturalis, c. XIV, 17. Röm. I, opus legis & conscientiæ: c. II, 15. atque ita dicitur vocatio seu gratia generalis. Specialis autem præveniens, est Verbi operatio, quæ Spiritus S. intellectum & voluntatem hominis movet sensu hortationis vel promissionis, simul virtutem præbens cessandi à repugnantia naturali vel acquisitâ, ne pertinaciter resistat. Hebr. IV, 12. Joh. XV, 22. Est pulsus ad ostium. Apoc. III, 20. tractio Patris inchoata. Joh. VI, 44.

Gratia præparans, quando præparatur à Spiritu S. & mens & voluntas, ut repugnantia magis magisque minuatur, & præstetur fidei obsequium. Act. XVI, 14. Fundatur in eo, quod velenum Mosis cordibus impositum est, h. e. naturalis error & languor; quo fit, ut, antequam plenè gratia operari possit, lucta carnis & Spiritus existat. 2. Cor. III, 15, 16. Psalm. XX XII, 4. &c. Quæ quidem affectio quum non semper illuc supereretur, ut apud Paulum, Gal. I, 16. & Lydiam; sed apud alios diutiùs hærere possit, ut apud Nicodemum, Joh. III. Sergium, Act. XLI. Onesimum; Philem. 10. vel proflus excuti, ut a Felice

130 DE GRATIA OPERANTE, COOPER. [L.III. C.I.]

Act. XXIV, 25, hinc *præparans* modò appellatur gratia. Ubicausa est defectus in usu *Legis*, vel *Evangelii*; & homo laborat *sub Lege*, qui per gratiam prævenientem *sine Lege* esse desit: Act. VII, 51. laborat autem in bonam partem non suis, sed *oblatis Spiritu S. viribus*; quibus plenè utendis adhuc impedimento sunt *humanæ*, in Scripturis dictæ *caro & sanguis*. Matth. XVI, 17. Gal. I, 16.

Gratia operans, fundatur in eo, quòd Dei solius sit, *operari* velle & perficere, Phil. II, 13. cor auferre lapideum, & carneum dare, Spiritum in interioribus ponere, ac facere, ut in præceptis Domini ambulemus. Ezech. XXXVI, 26, 27. Quò pertinet plena ablato *velaminis Mosis*, & facultas ex cōrde obediendi typo Evangelii. 2. Cor. III, 16, 17. Rom. VI, 17. *Tractio Pairis completa*. Joh. VI, 44. *Fides*, tanquam *victoria de mundo*. 1. Joh. V, 4. ut homo verè sit liber, & arbitrium ipsius liberatum, non glorians, nisi in Domino, qui factus ipfi à Deo sapientia, justitia & sanctificatio & redemptio. Joh. VIII, 36. 1. Cor. I, 30, 31.

Gratia cooperans fundatur in eo, quòd potentia Christi in infirmitate perficiatur, ipsiusque gratia fidelibus sufficiat. 2. Cor. XII, 9. Quando enim filii Dei Spiritu Dei aguntur, eoque actiones corporis mortificant; sublevat hic infirmitates nostras, testimonium perhibendo, interpellando, Rom. VIII, 13, 14, 15, 16, 26. & opus bonum perficit: Phil. I, 6. custodit nos virtutis suæ præsidio. 1. Petr. I, 5. *Quo ipso accedit donum persever-*

severantiae, seu gratia stabiliens: nam Deus omnis gratiae, qui vocavit nos ad eternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos, is integros reddit, stabilit, roborat, fundat. ibid. c. V, 10. conf. Joh. XIV, 23.

Qv. 10. *Sed an preces, similesque operationes iudee inter spiritum & carnem, existere possunt ante fidem, ut Deo placeant?*

Fieri non potest, ut sine fide quisquam placeat Deo. Hebr. XI, 6. Dari autem solent diversa fidei momenta sub agnitione peccatorum & contritione, donec fides intra nos de mundo victoria evadat, Christusque apprehendatur vere ad salutem ac libertatem. Conf. cit. ex Libb. Symb. suprà p. 113. Exemplum est Joh. VIII, 30, 31, 32. &c. item Sauli, Act. IX, 11. & Cornelii, Act. X, 4, 31, 32. cuius utriusque *preces*, cum *eleemosynis*, ex fide nondum integrâ seu completâ, attamen seriæ, haud displacecent Deo.

TH. III.

Ex naturali illuminatione fieri potest spiritualis, & contraria. Spiritualis autem illuminationis vires proveniunt ex Lege occidentes ac mortiferæ, ex Evangelio completere salutares ac vivificæ; ita ut initium illuminationis fiat ab arrogantiâ propriâ detestandâ, & status illius cognoscatur ex vivâ Dei dilectione.

I 2

Qv. 1:

Qv. 1. Daturne illuminatio naturæ lis?

Naturalis illuminatio existit, quando intellectus humanis viribus ad notitiam perducitur ex cognitis rerum caussis, effectibus atque affectionibus, vel aliorum pervasione. Quæ & revelatio generalis, & naturalis dicitur; quia fit mediante naturâ, vel quod ejus semina insita adhuc naturæ sint, vel quod ea relictae naturæ viribus acquiratur. Rom. I, 19, 20. Conf. lib. I. c. I. th. doct. 1. & 2. q. 2.

Qv. 2. Spiritualis quænam dicitur illuminatio?

Spiritualis illuminatio existit, quando intellectus ex divinis Verbi viribus ad veritatem agnoscendam perducitur, non, quod hæc rationi, sed conscientiæ spiritualiter affectæ sit consentanea. Joh. VI, 63. 1. Cor. II, 13.

Qv. 3. Estne verbum Dei efficax vere illuminationis medium?

Verbum Dei non est littera mortua, sed vivum & potens ad spiritualem sensum producendum in homine, etiamsi objectorum habitudo corruptæ rationi haud congrua sit. Hebr. IV, 12, 13. 1. Pet. I, 23. 2. Pet. I, 19. Jacob, I, 21. 1. Cor. I, 18. 24. II, 13, 14. 1. Thess. II, 13.

Qv. 4. An non Scripturæ S. perspicuitas externa sufficit ad efficiendam illuminationem spiritualiæ?

Ex Scripturæ S. ista perspicuitate sensus quidem, quem litteræ vel historicum dicunt, haberi potest; sed spiritualem ad illuminationem requiri. tur

tur ipsius Spiritus Sancti operatio per Dei verbum,
quæ huic nunquam deest. 1. Cor. VIII, 2, 3. Joh. VII,
17. 1. Joh. V, 6. 2. Petr. I, 19. Act. XIII, 27. XVI, 14.

Effectu cessante, culpa est penes hominem. Act.
VII, 51. Hebr. IV, 2. Matth. XIII, 13, 14, 15.

*Qv. 5. Quales illuminandi vires proficiuntur
ex Lege?*

Lex quum sit littera occidens, condemnans,
non vivifica; 2. Cor. III, 6. Gal. III, 21. vires non
nisi pædagogicè salutares affert occidentes, ter-
rentes, condemnantes: 2. Cor. III, 7. 9. non attin-
gentes finem, v. 13. efficientes autem peccati no-
titiam, & servitutis Spiritum. Rom. III, 20. V, 13.
VIII, 15.

*Qv. 6. Sufficiuntne hæ vires ad agnitionem pecca-
torum spiritualem?*

Non sufficiunt: sed, cor verè ut conteratur,
tristitiaque secundum Deum tentiat, 2. Cor.
VII, 10. Evangelium latè sumtum accedat necesse
est, situm partim in explicatione legis spirituali se-
cundum affectus cordis & Dei indolem, Matth. V.
Rom. VII, 14. 1. Petr. I, 15, 16. partim in passione &
morte Christi adhibendâ, ad verum dolorem de
peccatis, sanctumque pudorem concipiendum,
ex tantâ Dei & irâ & misericordiâ. Rom. VI, 3. 6.
Gal. V, 24. VI, 14. 1. Petr. II, 21. 24. Eph. V, 13.
Conf. p. 97. 137. 231. & Libri Symbolici p. 593.

*Qv. 7. Quales illuminandi vires proficiuntur
ex Evangelio?*

Etsi Evangelium in praxi videtur primùm
officio alieno fungi, ut perterrefactum cor indi-

134 DE ILLUMINATIONIS SIGNIS [L.III.C.I.]

gnitatem suam ex ipsa gratiae magnitudine augeri sentiat, Luc. V, 8, 9. tamen paulatim officium ejus *proprium* in ipsis angoribus emergit, quemadmodum sensim illucescit dies; ut Spiritus Christi vivificus animum liberet à lege peccati & mortis, gloriamque Dei in facie Jesu Christi penes eundem instauret. Rom. VIII, 2, 2. Cor. IV, 6. Sic vires oriuntur *completè* salutares. c. III, 17, 18. Gal. III, 21.

Qv. 8. *Ex quonam ordine aut signis vera illuminationis dignosci potest?*

Ordo mentis illuminandæ ex Verbo Dei unicus verus est, quod initium sapientiae sit timor Domini. Ps. CXI, 10. Timor autem Domini incipit ab agnitione judicii divini, & propriæ ignorantiae atque amentis arrogantiae detestatione. 1. Cor. III, 17, 18. Matth. XI, 25. Sir. LI, 27. Agnitione autem fidei verâ compleri hujusmodi illuminationem, duo signa docent: (1) agnitio credendorum ac dilectionis Dei *passiva*; dicit enim Apostolus, dilectionem Dei *signum* esse, quod homo cognitus sit à Deo. 1. Cor. VIII, 2, 3. Ps. XXXVI, 10. Conf. 1. Joh. IV, 7, 8, 10. 1. Pet. II, 3. Tit. II, 11. (2) agnitio ac dilectio Dei *activa*, inde exoriens. ibid. & Eph. I, 17. &c. quam comitatur *obsignatio*. Joh. XIV, 21, 22. &c. Eph. I, 13. 2. Cor. I, 21, 22. V, 14. 1. Joh. III, 24. V, 13.

Observandum, quod cognoscendi præstantia in *passiva* potius affectione; ut se homo per Evangelium esse agnatum à Deo, apprehendi, vel *apprehensum* à Christo animadvertiscat: Ps. XLIX, 16. Joh. XVII, 26. Gal. IV, 9. Phil. III, 12. quam in ipso intelligendi actu, sita sit, Conf. Th. V. q. 3.

Qv. 9.

Qv. 9. *Potestne ex naturali illuminatione fieri spiritualis, & contrà?*

Fieri id potest. Neque enim cognitio ex naturae viribus, licet sensu historico vera fuerit, hoc ipso vera agnitus est, veritate spirituali, practicâ & salutari: Rom. II, 18 21, 22. 1. Joh. II, 4. sed ipso cognoscendi modo (1. Cor. VIII, 2.) esse potest naturalis, quæ nihil veritatis spiritualis in homine efficiat, nisi ratio cognoscendi efficacem fidei sensum admiserit; atque eundem hunc si quis amiserit, cognitio iterum mere naturalis est. Phil. I, 9. 1. Cor. II, 12. 1. Joh. III, 6. V, 6.

Qv. 10. *Quenam ergo requiruntur ad veram illuminationem obtainendam?*

Testimonio B. Lutheri tria hæc; *Oratio, Meditatio, Tentatio.* Luc. XI, 9, 10, 11, 12, 13. II, 5. 1. Joh. III, 6. 19, 20, 21, 22. 1. Petr. II, 2. 2. Petr. I, 3, 4. 2. Cor. XII, 9.

Qv. 11. *Sed num ita alligata est verbo illuminatio, ut nihil ejus detur, nisi eo tempore, quo auditur illud, vel legitur, vel destinato studio consideratur?*

Verbum Dei est omnino medium illuminationis ordinarium, neque ipsum est quidquam aliud, quam communicatio divinæ & veritatis & virtutis: non illud verò alligatum est tantummodo auditionis, lectionis aut meditationis aëtibus; sed, quando est insitum, semper est potens servare animas, *semen incorruptibile*, per quod Spiritus S. operatur, *sicut vult.* Jac. I, 21. 1. Petr. I,

TH. IV.

Regeneratio re ipsâ non differt à verâ illuminatione, sed, ut significandi modo hæc intellectum, sic illa voluntatem magis respicit; consistens in supernaturali cordis immutatione, quâ Deus homini in peccatis mortuo confert è Christo vîres, & moriendi peccato, & vitam spiritualem recipiendi, atque in Spiritu facultatibus omnibus ambulandi; quæ gratia & amitti, & recuperari potest.

Qv. 1. Nonne diversæ operationes sunt illuminatio & regeneration?

Non; sed una eademque est operatio divina, lumenque divinum est ipsa nova vita: hæc autem magis cor ac voluntatem, illud mentem potius & intellectum respicit, Joh. I, 4. 9. Eph. I, 18, 19, 20, IV, 18.

Qv. 2. In quibus partibus versatur opus regenerationis?

Quemadmodum illuminatio versatur in tenebris mentis expellendis, luce que in Domino recipiendâ; Eph. IV, 18. V, 8. ita regeneration versatur in mortificatione & vivificatione: Eph. II, 5. Col. II, 13. in eo, ut homo moriatur peccato, & ex spiritu vitæ renascatur in Christo Jesu. Rom. VI, 2. &c. VIII, 2. Joh. III, 6. Seu, quod idem, in exuitione veteris hominis, & induitione novi. Col,

DE MORTIFICAT. ET VIVIFICAT. [L. III. C. I.] 137

Col. III, 9. quæ tam in *Conversione*, quam in *Renovatione*, est ipsa imaginis divinæ instauratio. 2. Cor. III, 17, 18. in *scholis dicta collatio virium credendi*; cuius vera interpretatio meditanda ex Eph. I, 19, 20.

Qv. 3. *Vires moriendi peccato an non ex
Lege profiscuntur?*

Vires Legis occidentes, condemnantes, efficiunt quidem, ut *moriatur homo*, Rom. VII, 10, 11. hoc est, defectum virium obsequendi experiat: sed hoc in statu peccatum non tam moritur, quam vires suas exserere potest. v. 11. Eph. II, 1. 5. Col. II, 13. Aliud ergo est *mori peccato*, ut mortificetur ipsum unum peccatum, seu peccandi efficacia in carne; id quod *Lex sola* non operatur, sed vis quædam fidei ex communione Christi vulnerum ac mortis. Rom. VI, 2, 3, 4, 5, 6. VIII, 10. Phil. III, 10. 1. Pet. II, 22, 23, 24. conf. Th. III. qu. 6. & L. II. C. I. Th. III. qu. 3.

Vetus homo, quum sit ratio sibi relictæ & amor sui inordinatus, cum pravis motibus tanquam membris, hoc est, *mundus*; non aliter crucifigitur, quam communione crucis Christi intimâ. Gal. V, 24. VI, 14. Col. III, 3, 5.

Qv. 4. *Vitæ spiritualis vires unde accipiuntur?*

Ex communione resurrectionis Christi per Evangelium. Rom. VI, 4, 5, 8, 11. VIII, 11. Eph. I, 19, 20. II, 5, 6, 12. Col. II, 13. III, 1, 1. Pet. I, 3.

Ut mortificatio spiritualis, ita & vivificatio tota in communione cum Christo, ex mortuis resuscitato, fundatur. Id quod emphasis præpositiois *et* vel *et* locis adductis monstrat. Commu-

nio autem non modò *imputativa*, sed & *inhesive* intelligitur utrobique: non enim hic agitur de remissione peccatorum, sed de sanctificante gratiâ; ut inter passiones atque actiones Christi *meritorias*, & regenerationis operationes, efficax intercedat communio.

Qv. 5. *Qualis mutatio fit in homine per regenerationem?*

Per regenerationem & conversionem vera & realis mutatio contingit in facultatibus intellectus ac voluntatis, participante ipso appetitu sensitivo; eâdem quidem manente essentiâ humana ac vitâ naturali, sed ita, ut apud hominem inchoet *spiritus vitae in Jesu Christo vitam spiritualem*, Rom. II, 6. 10. *naturam divinam*, h. e. supernaturem indolem; 2. Petr. I, 4. quæ *Spiritus Christi est*, Rom. VIII, 9. *mens Christi*, 1. Joh. V, 20. *Spiritus fidei*, 2. Cor. IV, 13. *novitas Spiritus*, Rom. VII, 6. *vita abscondita cum Christo in Deo*. Col. III, 3. quæ *nova vita parit spirituales motus in cordibus*, testante Apologâ Aug. Conf. p. 83. ut homo vivat in *vita fidei Filii Dei*, & ipse Christus in eo vivat. Gal. II, 20. 2. Cor. XIII, 5.

Hinc & illæ appellations *emphaticæ*, ut regenerationis opus vocetur *creatio in Christo Jesu*, Eph. II, 10. conf. Ps. LI, 12. 2. Cor. IV, 6. *induitio Christi*, Gal. III, 27. *infusio*, *transplantatio in Christum*, atque *incorporatio*, Rom. VI, 5. Eph. I, 23. IV, 15. Col. I, 18. II, 10, 11. *circumcisio fine manibus*, ibid.

Qv. 6. *Existitne ergo vera nativitas per regenerationem?*

Existit

Existit omnino vera spiritualis nativitas: nam novus homo verè nascitur ex Deo; Joh. I, 13. 1. Joh. V, 1. 4. *genitus ex ipso Spiritu spiritus*, Joh. III, 6. vitamque ex Deo indeptus, Eph. IV, 18. *occultus cordis homo* in statu incorrupto lenis ac quieti Spiritus, pretiosus coram Deo, 1. Petr. III, 4. *internus, renovandus in dies*; 2. Cor. IV, 16. *creatura nova*. Gal. VI, 15. Unde & homo ipse dicitur *lux in Dominum*, Eph. V, 8. *figmentum Dei*, creatus ad bona opera, c. II, 10. *novus homo*, c. IV, 24. in Christo mortis, resurrectionis & vitae particeps factus. 2. Cor. V, 15. 17.

Ita Deus triunus causa efficiens regenerationis est, ut Deus generet sibi filios (*βεγητεις*) ex gratuitâ prorsus voluntate: Jac. I, 18. 1. Pet. I, 3. sed non aliter, quam Filio unigenito, tanquam altero Adamo & patre filiorum spiritualium, redimente ipsos, & instaurante in iis imaginem atque iudicem divinam. Ef. VIII, 18. Hebr. II, 10, 11. 13, 14, 15. 18. ex cuius merito Spiritus S. regenerationem, ut proprium opus suum, efficit. Tit. III, 5.

Qv. 7. *Quænam sunt regenerationis media?*

Verbum Dei & Baptismus. Verbum enim est *fæmen vivum*, (vita & Spiritus, Joh. VI, 63.) ex quo regeniti, non, ut gramen, exarescunt aut pudefiunt, sed manent; ac per idem adolescunt, 1. Pet. I, 23, 24, 25. II, 2. 6. veluti arbor plantata *secus rivos aquarum*. Ps. I, 3. Jer. XVII, 8. Auditus sermo fide contemporatur, Heb. IV, 2. atque in naturam hominis inferit divinam naturam, servatque animam. Heb. IV, 2. 2. Pet. I, 4. Jac. I, 21.

Ad

140 DE REGENERATIONIS MEDII. [L.III.C.I.]

Ad opus hoc concurrit *Lex inserviendo*, *Evangelium efficiendo*; *Ministri*, ut cooperarii, plantantes & rigantes, *Deo dante incrementum*. I. Cor. III, 5, 6, 7. IV, 15. Gal. III, 1, 2. 21. IV, 19. Phil. 10.

Baptismus est lavacrum regenerationis, Tit. III, 5. aquæ in verbo, Eph. V, 26. conf. Joh. III, 5. Matth. XXVIII, 19. In adultis regeneration per Verbum incipit; confirmatur *Baptismi*, nec non *Eucharistie* sacramento, verbōque ipso. Ibid. & Joh. XVII, 17. I. Petr. II, 2.

Qv. 8. *Potestne amitti, & recuperari regenerationis?*

Potest quidem peccato voluntario amitti, atque iterari per pœnitentiam regenerationis; Gal. IV, 19. V, 4. 2. Cor. XII, 21. sed non sine ingenti & damno & periculo. 2. Pet. II, 20, 21, 22. Rom. VIII, 13.

Qv. 9. *Eſtne ergo regenerationis tantopere necessaria?*

Tam necessaria est regenerationis, ut sine eâ regnum Dei nemo videre possit: Joh. III, 3. I. Petr. I, 3, 4. Tit. III, 5. nec quidquam operis operati in Christo valeat, sed tantum nova creatura. Gal. VI, 15. 2. Cor. V, 17.

Qv. 10. *Quænam præterea sunt synonyma regenerationis?*

Est circumcisio cordis, Rom. II, 29. sine manibus. Col. II, 11. Sanctificatio, & renovatio, latè dicta. Hebr. XII, 14. Tit. III, 5. in adultis, conversio & pœnitentia: nec non aliquando justificatio, ex Apologiae A. C. usu.

TH. V.

TH. V.

Conversio & Pœnitentia a Regeneratione nullatenus differunt; nisi, quod hæc non modo adul-tis, ut illæ, verum etiam infantibus tribuatur. Conversio autem, & transitivè & intransitivè, usurpatur de verâ cordis mutatione, non ex humanis, sed divinis viribus: cujus & Pœ-nitentiae partes, sunt contritio & fides; si-gna, effectus atque fructus.

Qv. 1. *Conversio & Pœnitentia nonne differunt à Regeneratione?*

Et conversio & pœnitentia nihil aliud est, quam ipsa regeneratio apud adultos: nam diversæ di-ctiones illæ rationis modo usum exprimunt.

Qv. 2. *Quid discriminis est inter conversionem transitivam & intransitivam?*

Una eadémque *Conversio* est *Transitiva*, quando in Scripturis Deus homines convertere dicitur, ut Jerem. XXXI, 18. *Intransitiva*, ubi homo dicitur se convertere. Deut. XXX, 2. Matth. Xlll, 15.

Qv. 3. *Ergo homo ex viribus suis se conver-tere potest?*

Nullo modo. *Gratiâ servamur per fidem;* & hoc non ex nobis: *Dei donum est.* Eph. II, 8. *Hu-jusmodi peccatores eratis unusquisque:* sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in no-mine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. I. Cor. VI, 11. Tit. III, 3. 5. Act. V, 31.

Cùm homo se convertit, actus pœnitentiam agen-

agendi, credendi, verè tribuuntur homini, sed producti non ex ipsius viribus, verùm divinis à Spiritu Sancto. *Cognovistis Deum, immò potius cogniti estis à Deo.* Gal. IV, 9. *Quæ est trāctio Joh.* VI, 44. Conf. Th. III. q. 8. m. 2.

Qv. 4. Annon convercio à morum mutatione appellatur?

Non excluduntur quidem *mores externi*, à quorum deterioribus transitur in conversione ad meliores simul: sed conversio vera est opus spirituale, quo ipsi affectus cordis immutantur, ita ut *aperiat oculos hominum*, atque hi convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum. Ex quibus intelligimus, consistere illam in ipsa illuminatione & regeneratione; & esse ei consequens, ut conversi remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos, accipiant per fidem, quæ est in Christum. Act. XXVI, 18. Conf. Lib. I. c. I. Th. Mor. 1.

Conversio vi vocis notat terminum à quo, & ad quem: ille est status tenebrarum & potestatis Satanæ, à quo transitur cum sensu atque impulsu hororis ac pœnitentiae, tanquam paedagogi, ad lucem admirabilem. I. Pet. II, 9. conf. Ps. XXXII, 9. LV, 20.

Qv. 5. Pœnitentia quotupliciter sumitur in Scripturis?

Dupliciter: *Stricè & paenitè*, quando contritionem denotat, & à fide distinguitur. Marc. I, 15. Act. XX, 21. *latè & clementè*, ut significet totam hominis conversionem, complectaturque ipsam fidem; ut apud

apud Lucam XIII, 3. 5. & alibi. Posterior acceptio
hujus loci est.

Qv. 6. *Conversionis & Pœnitentiae quænam
sunt partes?*

Contritio & Fides. Es. LVII, 15. Act. XX, 21.
XXVI, 18. Contritio est tristitia secundum Deum
ex agnitione peccatorum ; 2. Paral. XXXIV, 27. 2.
Cor. VII, 10, 11. conf. Th. D. III. q. 6. cuius signum, ve-
rus pudor. Hesek. XVI, 65. XLIII, 10, 11. Dan. X, 7, 8.
Rom. VI, 21. oritur partim ex Lege, partim ex Ev-
angelio latè dicto, seu legaliter primum adhibito: ut
suprà quoque est traditum Th. III. qu. 6. IV. qu. 3.
Fides est fiducia supernaturalis in promissionibus
divinis de Christo : 2. Cor. I, 20, 21. 1. Joh. V, 4, 5, 6.
ut assensus sit ὑπόστασις in Christo sperandorum ; &
agnitio eorum, quæ non cernuntur. ἐλεγχος fit con-
tra rationem. Hebr. XI, 1. Rom. IV, 18. 1. Cor. II, 9, 12.
XII, 3.

Apol. A. C. p. 86. Fides illa existit in pœnitentiâ, hoc
est, concipitur in terroribus conscientie, quæ sentit i-
ram Dei adversus nostra peccata, & querit remissio-
nem peccatorum, & liberari à peccato. Et in talibus
terroribus, & aliis afflictionibus, debet hæc fides cre-
scere & confirmari. Quare non potest existere in his,
qui secundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditi-
bus suis, & obtemperant eis. Item: Fides illa, quæ
accipit remissionem peccatorum in corde perterrefa-
cto, & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtem-
perant cupiditatibus, nec existit cum mortali peccato.
Conf. ibid. p. 168. it. p. 17, 18.

Qv. 7. *Sufficitne ad veram pœnitentiam lucta in-
ter rationem & appetitum sensitivum?*

Ad

Ad tristitiam secundum Deum non sufficit lucta rationis & appetitus sensitivi, utpote quæ dolor mundi, & ex naturâ corruptâ esse potest. 2. Cor. VII, 10. Nec ipsa carnis & spiritus lucta pœnitentiam salutarem conficit; sed requiritur, ut fides victoriæ de mundo, omnibusque ejus illecebris ac terroribus, reportet: 1. Joh. V, 4, ut spes fidei spem rationis, circa objecta quævis, superet. Rom. IV, 18.

Qv. 8. *Abnegatio estne ad pœnitentiam referenda?*

Pœnitentia quum duplex statuatur, alia impiorum vel lapsorum, quæ dicitur ab operibus mortuis, Hebr. VI, 1. de quâ hactenus; aliastantium, ad renovationem pertinens: ad hanc sine dubio referenda est abnegatio. Ad illam verò spectat ita, ut in contritione abnegatio mali propositi incipiat passivè ac legaliter: activè autem & Evangelicè, id est, verè & plenè exserit se per fidem, atque sic radicata continuatur in renovatione. conf. p. 175. Quem in sensum Christus Luc. XIV, 26. si quis venit ad me, & non odit (affectu non hostili, sed pœnitentiali propter abusum antegressum) patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres; non potest meus esse discipulus.

Qv. 9. *Quænam sunt veræ pœnitentiæ signa?*

Abolitio corporis peccati, ut ne amplius hoc dominetur, sed inefficax sit redditum. Rom. VI, 6. Gal. V, 24. Quam animi mutationem ex fide comittatur,

DE THEOL. MOR. SUBJECTO. [L.II.C.I.] 149

tatur *bonum propositum*, studium novæ obediencie, quod Scriptura emphaticè dicit, *in luce incidere*. 1. Joh. 1, 7. *in Spiritu ambulare*. Gal. V, 25. Utrumque Psal. XXXII, 2. comprehenditur eâ conditione subjecti, cuius *in spiritu non sit dolus*.

Qv. 10. *Quomodo gratiae sanctificantis actus, Vocatio, Illuminatio, Regeneratio, Conversio & Pénitentia, definiuntur?*

Actus gratiae sanctificantis, quo peccatoris intellectus, voluntas, & reliquæ facultates, à tenebris ad lucem, & a potestate Satanae ad Deum sic traducuntur, ut peccatum haud amplius dominetur illis, homo autem remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiat per fidem, quæ est in Christum.

Quæ quidem definitio singulis, observato etiam diverso respectu, attribui potest.

THESES MORALES.

Th. I.

Theologiae Moralis subiectum est homo, à Deo efficaciter vocatus ad sanctificationem, regni cœlestis propriam: cui etiam ipsum viæ externæ institutum peculiare subordinatum conformari debet.

Qv. 1. *Vocatio quoduplici sensu adhibetur?*

Duplici, Primariò nihil aliud significat vocatio,

K

tio,

tio, quam annunciatam Dei voluntatem de regno cœlesti & salute hominum æternâ. Eph. I, 18. 2. Pet. I, 10. Secundariò autem denotat certum vivendi genus, seu vitæ externæ institutum peculiare: 1. Cor. VII, 20. 24. sive illud Ecclesiasticum & Ministeriale, Eph. IV, 11. seu Politicum & Judiciale, 1. Cor. VI, 4, 5. seu Oeconomicum. Eph. VI, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

Qv. 2. *Vocatio externistatis quo ordine spectanda est erga alteram cœlestem?*

Vocationi ad regnum Dei, quæ communis omnium, subordinata est altera ad officium in hâc vita speciale; ita quidem, ut totum hoc conformari debeat primario illi officio sequendi Christum ad regnum Dei: hoc verò nisi negligere velimus, Christo ipsi, tanquam Domino, vita omnis submittenda est. 1. Cor. VI, 19, 20. X, 31. Rom. XIV, 7, 8, 9. id quod non minus de matrimonio intelligendum. 1. Cor. XI, 3.

Usque adèò necessarium est, omnem vocationem specialem à Christianismo dirigi in solidum, ut hinc etiam de Christianismo dicatur *χάρις, gratia,* de reliquis officiis *χαριομάτα, gratiae dona,* utpote quæ ex illa diversis modis cuilibet vitæ generi affunduntur. Rom. XII, 6. 1. Pet. IV, 10, 11. Quocirca Apol. A. C p. 95. *Labores David, inquit, in gerendis bellis, & in administratione domesticâ sunt opera sancta, sunt vera sacrificia, sunt certamina Dei, defensantis illum populum, qui habebat verbum Dei, adversus Diabolum, ne penitus extingueretur notitia Dei in terris.* Sic sentimus etiam de singulis bonis operibus

ET SECUNDARIA. [L. III. C. I.] 147

ribus in insimis vocationibus, & in privatis. Per
hæc opera triumphat Christus adversus Diabolum: ut,
quod Corinthis conferebant Eleemosynam, sanctum o-
pus erat, & sacrificium & certamen Christi adversus
Diabolum, qui laborat, ne quid fiat ad laudem Dei.
Talia opera vituperare, confessionem doctrinæ, affli-
tiones, officia charitatis, mortificationes carnis,
profecto esset, vituperare externam regni Christi in-
ter homines politiam. Et Augustinus lib. I. de
doct. Christ. c. XXII. observat, quod primaria
illa vocatio ad primam tabulam pertineat, se-
cundaria vero ad tabulam secundam: quodque
hæc posterior tota, ut derivanda ex priore, sic
quoque ad eam componenda ac reducenda.
Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo
debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima,
tota mente diligit Deum. Sic enim eum diligens
tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius
refert in illam dilectionem Dei, que nullum a se
rivulum duci exira patitur, cajus derivatione mi-
nuatur.

Q. 3. Estne autem Theologie moralis verus cul-
tor quilibet vocatorum?

A Theologie moralis subjecto, seu cultore
vero, exspectatur cultus Dei in spiritu & veri-
tate, cum virtutibus spiritualibus; quæ non à
quovis vocato præstari queunt, nisi qui vocatio-
nis efficaciam ipsam receperit, sitam in gratia
sanctificantis viribus. 1. Cor. XII, 3. Conf. Lib. I.
c. I. Th. Moral. II. qv. 4, 5. Quales dicuntur voca-
ti sancti Rom. I, 7.

K 2

Qv. 4

Qv. 4. *Sed num Theologia Moralis nihil aliud intendit, quam merè spiritualia?*

Nihil aliud: quæ enim alia simul attingit, vel interna vel externa, non nisi ex accidenti spectat, quatenus ad spiritualia pædagogicè vel consequenter pertinent.

Qv. 5. *Num verò Theologia Moralis non agit etiam de homine irregenito vel convertendo?*

Theologiæ Moralis subjectum est homo regenitus atque conversus: quoniam verò tales facile habentur, qui tamen non verè sunt, necessarium est, ut solicite illa respiciat subjecti conditionem, (quam, fano sensu, præsupponere dicitur) ne ex hujus vanitate similes virtutes orientur. Matth. VI, 22, 23. VII, 18.

TH. II.

Homo pœnitentiam agens, credens, liberè actus hujusmodi elicit, ita ut intellectus & voluntas agant non necessariò, sed contingenter, ex viribus à Spiritu S. oblatis.

Qv. 1. *Si homo in conversione non nisi passivè se gerit, quo sensu pœnitentiam agit, credit?*

Homo se passivè habet in conversione, si spectamus facultatis intelligendi, volendi, vires naturales, ex quibus conversio & fides proficiunt nequeunt: eandem autem facultatem intelligendi, volendi, illuminat & sanctificat Spiritus Sanctus, ut ex viribus supernaturalibus, nondum quidem

HOM. REGENITO. [L. III. C. I.] 149
dem collatis, attamen oblatis, utrèque omnino agat
poenitendo atque credendo. Phil. II, 12, 13.

Qv. 2. Num verò intellectus & voluntas agunt
necessariò, an liberè?

Off. rt Deus homini supernaturales vires ex
Christo & verbo suo, quibus actus intelligendi &
volendi sanctificatos queat elicere, ipsorumque
exercitium eidem liberum relinquit. Etsi igitur
spiritualitas in agendo à Spiritu S. est, tamen in-
tellectus liberè intelligit, voluntas liberè vult; &
obsequium præstatur, non necessariò, (necessitan-
ter) sed contingenter. 2. Cor. V, 17, 18, 19, 20, 21.
Gal. I, 15, 16, 17. conf. p. 29. qu. 3.

Trahit Pater: homo audit, discit, venit. Joh. VI,
44, 45. dante Patre, homo venire potest. v. 65.
(Joh. V, 40.) Filio suadente & dante, homo ci-
bum operatur incorruptibilem. v. 27.

TH. III.

In conversione homo regeneratur & liberatur,
non quidem perfectè prorsus, at verè ta-
men.

Qv. 1. An homo conversus perfectè est regene-
ratus & liberatus?

Per conversionem regeneratio non prorsus
absolvitur, sed inchoatur & constituitur. Cre-
dentes, primitias Spiritus nati, apud se ipsos suspi-
rant, adoptionem expectantes, ipsam corporis sui
redemptionem. Rom. VIII, 23. Apud renatos
reliquæ peccati intellectum, atque appetitum,
hunc verò & rationalem & sensitivum, adhuc

K 3. affici-

150 DE REGENERATIONE PERFECTA. [L.III.C.I.]

afficiunt: Hebr. XII, 1, crassioribus etiam superatis, subtiliora & spiritualia insidiarum Diabolicalium genera supersunt, quibus iidem quotidiè tentantur. Eph. VI, 11, 12.

Qv. 2. Estne tamen vera regeneratio & liberatio,
quæ nondum absoluta?

Quicquid natum est ex Deo, vincit mundum: &
hæc est ipsa victoria, quæ mundum vicit, ipsa fides.
i. Joh. V, 4. Per hoc adimplerur charitas nobiscum,
ut fiduciam habeamus in die judicii, quod. qualis
ille est, & nos sumus in hoc mundo. c. IV, 17. Ve-
ra igitur & completa est regeneratio, ubi peccatum
non amplius dominatur, sed per fidem pax Dei.
Rom. VI, 6. 14. V, 1. Quemque ita Filius libera-
vit, verè liber est. Joh. VIII, 36.

Perfecta autem regeneratio, quæ post hanc vi-
tam mortem, spiritualem quoque, abolebit radici-
tus, nihil peccati relinquet. i. Cor. XV, 54, 55,
56. Quando vero, de hac etiam vitâ, interim per-
fecta dicitur; non sanctificationis graduum, sed vel
iustificationis, vel & partium ratione habitâ recto
sensu: hic de posteriore, nimirum de perfectio-
ne partium, idem est, quo appellatur *vera* ac *com-
pleta* regeneratio. Conf. L. III. c. III. Th. IV.

AD TOTUM CAPUT

Conf. J. Arnd, de Ver. Christ. lib. I. cap. III.
IV. V. VI. VIII. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XIX. XXXI.
XX. XIV. XXXVI. XXXVII. XLII. Lib. II. c. V. VI. VII.
VIII. IX. X. XI. XXXIII. XXXIV. Lib. III. c. I. II. III. IV. V.
VI. VII. VIII. IX. X. XI. XVI. XVII. XXI. Lib. IV. c. XXXII.
XXXIII.

CAP.

De Gratiæ miserantis acti- bus.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Alter Redemtionis fructus, Remissio peccatorum, fundatur in misericordiâ Divinâ, quatenus hæc ab æterno decrevit electionem verè credentium ad gloriam æternam, ipsorumque justificationem firmavit in tempore.

Qv. 1. *Gratia miserans quomodo differt à sanctificante?*

Est una eademque Gratia, in Deo; apud homines autem, in quos transit utraque, effectibus discrepat tanquam privativa & positiva. Utraque est indoles Novi Testamenti, Hebr. X, 16, 17. via nova & viva. v. 20. Conf. c. I. Th. I. qv. 3.

Qv. 2. *In quibusnam Dei attributis fundantur duo illi redemtionis fructus?*

Sanctificatio fundatur in justitiâ & sanctitate divinâ, requirente in hominibus imaginem. 1. Petr. I, 15, 16. 17. *Remissio peccatorum* fundatur in divinâ misericordiâ, de quâ testantur promissiones, ut Exod. XXXIV, 6, 7. fundatæ in Christi officio mediatorio. 2. Cor. I, 19; 20.

Qv. 3. *Quænam analogia in his obser-
vanda?*

K 4

Re-

152 D. GRAT. MISER. ACTIB. [L. III. C. II.]

Redemptio facta est propter utrumque frumentum, hominibus tribuendum: remissio peccatorum necessaria est propter sanctificationem, tanquam finem proximum, h.e. imaginis divinae instauracionem.

Qv. 4. *Actus gratiae miserantis quinam?*

Prædestinatio & Justificatio, tandemque Glorificatio. Rom. IX, 29, 30. Illa est decretum ab æterno: hæ sunt ejus executiones, in hac & futurâ vitâ. De Glorificatione agit doctrina de Vitâ Aeternâ infrâ.

TH. II.

Fundamenta doctrinæ de Justificatione sunt: Promissio & Satisfactio. Utramque in judicio divino sollicitè apprehendit animus verè contritus: cui Deus, in Christo sic recepto, non imputat peccata agnita, sed justitiam Filii; unâque (cum justificatione) Spiritum Ipsi⁹ confert, Suamque charitatem, & pacem & gaudium in Spiritu Sancto, atque arthabonem hæreditatis.

Qv. 1. *Justificatio quid denotat in Scripturis?*

Justificationis latinum vocabulum in Vet. Testam. s̄æpe generalius significare solet ipsa justitiae præcepta, ut Ps. CXIX, 8. 16. &c. in Novo Testamento autem, sicut dicitur, opponitur condemnationi: Rom. V, 18. IV, 25.

Ver-

Verbum *justificare*, posteriore sensu *judiciali*, reperitur in ipso usū *civili*: Deut. XXV, 1. 2. Sam. XV, 4. Psal. LXXXII, 3. Es. V, 23. XLII, 9. similiterque in usū *spirituali*, ubicunque in *Vet.* & *Nov. Test.* *justificatio* peccatoris coram Deo tractatur sola: ut Ps. CXLIII, 2. Job. IX, 2. Rom. II, 13. III, 4. 20. 24. 26. 28. 30. IV, 2. 5. 1. Cor. IV, 4. Tit. III, 7. conf. cum Rom. III, 24. ipsique condemnationi & maledictioni sic opponitur Rom. V, 16. 18. II X, 33. 34. Matth. XII, 37. Luc. XVI, 15. Gal. III, 8. 10. Itaque significat idem, quod remittere peccata, reputare justum; id quod *phrases* & *peri-phrases* æquipollentes confirmant: ut Ps. XXXII, 1, 2. Act. II, 38. III, 19. Rom. IV, 3. 5. 7. &c. III, 25. Rom. V, 8. 9. Joh. III, 16. 17. 18. Col. I, 13. 14. II, 14. 1. Joh. II, 12. ubi & v. 1, 2. Christus tanquam *advocatus* infertur. quemadmodum & reliqua, ad *judicium* pertinentia, passim occurrunt ita, ut Deus sit *judex*, & Diabolus hominesquē accusent. Gen. XII, 25. Apocal. VI, 10. XII, 10. Paulus verò universan *Justificationis* doctrinam *sub processu judiciali* proponit, ante omnia omnes homines *condmnationi* esse abnoxios, demonstrans Rom. I. II. III.

Cæterū *Jacob.* II. & *Apoc.* XXII. *justificari* est declarari justum, vel à Deo, *ratione* *judicij* non *rigorosū*, sed *paternū*, vel coram hominibus. *B. Luther* in *Comment.* ad Gal. atque alibi sèpe latius vocem *justificandi*, exemplo *Patrum*, accipit; ut ὁλός designet totum regenerationis opus: à quo usū nec *Apolog.* A. C. p. 73. nec *Apostolus* I. Cor. VI, 11. alienus videtur.

Qv. 2. Quomodo Justificatio fundatur in Promis-
sione & Satisfactione?

*Justificamur gratis gratiâ ipsius per redemtionem,
quæ est in Christo Jesu.* Rom. III, 24. *Gratia Dei
patefacta est per promissiones de redemtione, remis-
sione peccatorum & sanctificatione.* Eph. I, 7, 8, 9.
illas apprehendit fides, atque ita fit justificans &
imputatur. Gen. XV, 6. Rom. IV, 3, 5, 13, 16.

Qv. 3. Nonne satisfactio promissioni inclusa
spectari potest?

Omnino: *promissio tanquam unicum Justifica-
tionis fundamentum spectari potest, offerens
Christum, ipsiusque meritum, tanquam fontem
gratiæ & miserantis & sanctificantis.* 1. Cor. I, 30.

Qv. 4. Fides estne viva & practica in apprehendendo
Christi merito?

Fides est efficacia ipsius Dei, quâ is Filium ex-
citavit à mortuis, atque ideo maximè vivæ originis
ex Christi merito; in quod etiam fertur apprehen-
dendum, atque ex apprehenso augetur. Col. II,
12. Eph. I, 19, 20. II, 5, 6. 8, 10. Philipp. III, 9, 10.
Rom. IV, 12, 15, 16, 18, 19, 20. &c. Est opus Dei,
quod operari credendo, Christus jubet: Joh. VI,
28, 29. operatur enim illud victoriā de mundo, cùm
in luctâ carnis & spiritus apprehendendo emergit ad
victoriā de mundo. 1. Joh. V, 4.

Apol. A. C. p. 112. Deus ignoscit his, qui ap-
prehendunt promissionem; nec apprehendunt, nisi
qui verè credunt, & fide peccatum vincunt & mor-
tem. CHEMNIT. Apprehensio, acceptio seu applica-
tio

DE JUST. FUNDAMENTIS, [L. III. C. II.] 155
tio promissionis gratiae, formale est fidei justificantis
secundum phrasim Scripturæ. Non autem hoc tantum
Scriptura de fide prædicat, verum etiam describit,
quomodo & quibus moribus fiat illa apprehensio sive
applicatio. Et hæc explicatio valde multum habet
utilitatis. Ex horum enim quasi analysi sive synopsi
clarius conspicitur natura, & ut ita dicam, PRA-
XIS fidei justificantis, & potest quisque deprehende-
re, an habeat veram fidem justificantem. Et multæ
cavillationes Adversariorum ex hæc distributione re-
futari possunt.

Vita & praxis sunt *vestigia fidei* Patris fidelium
Abrahæmi, ut spem rationis pariter *spe fidei* supe-
remus, ut & nobis justitia fidei imputari possit.
Rom. IV, 11, 12. 24. Conferantur *Psalmi pœnitentiales*, ut Ps. XXXII, 5, 6. XXXIX, 19. &c. Signa
enim hæc, omnibus verè fidelibus communia, te-
stantur, quod maneat firma *promissio*, & *gratia*,
tanquam *principalis causa justificationis*.

**Qv. 5. An non verò sic homo justificatur ex
operibus antecedentibus?**

Homo nullo modo justificatur ex operibus,
vel *antecedentibus*, vel *comitantibus fidem*, vel
consequentibus, in rigoroso Dei judicio. Opera
fidei *antecedentia* sunt illa, quæ *legis opera* di-
cuntur propter *coactionem legis*, & negantur ju-
stificare. Rom. III. Gal. II. III. Conf. suprà pag. 110.
Comitantia sunt ipsi motus fidei, de quibus jam
sermo est; qui, tantum abest, ut justificant, ut
potius sint ipsius hominis *testimonia*, quibus fa-
tetur, se non esse ἐγγράψειν, confidentem in
ullis operibus, sed fide confugere ad solum Chri-
sti

156 DE JUSTIFICATIONE GRATUITA. [L. III. C. II.]
sti meritum, ut tanquam impius, at verè credens,
ex eo justificetur. Rom. IV, 4, 5. Consequentia
quòd non justificant, docet res ipsa, propterea
quòd fidei justificantis fructus sunt. Eph. II, 9, 10.

Qv. 6. Quænam ergo est analogia inter justificatio-
nem & opera Spiritus?

Ex resurrectione Christi justificatio affert justi-
tiam fidei & imputatam, & inhæsimam simul; illam
ad remittenda peccata, hanc ad imaginem Dei in-
staurandam ac sanctificationem: quæ utraque nec
confundenda, nec separanda est. Quâ de re agi-
tur. Rom. IV, 25. V, 17, 18. II X, 4. 2. Cor. IX, 8, 9, 10.
15. Phil. I, 11. III, 9, 10. 1. Pet. I, 3.

Qv. 7. Quid est proinde Justificatio?

Actus reconciliationis judicialis, quo Deus ve-
rè credenti imputat Christi justitiam, & propter
hanc peccata non ad damnationem imputat; eum
in finem, ut Filii sui Spiritum & dona ipsi conser-
re possit. 2. Cor. V, 19, 20, 21.

Qv. 8. Quænam sunt Justificationi adjuncta
dona & signa?

Pax & gaudium in Spiritu Sancto, effusio dile-
ctionis Dei per Spiritum Sanctum, atque unà viri-
um sanctificantium, testimonium adoptionis, &
arrhabo hereditatis aeternæ. Rom. V, 1. 5. II X, 15,
16. XIV, 17. Eph. I, 14.

TH. III.

Quæ justificationis in tempore, cædem sunt Ele-
ctionis seu Prædestinationis ab aeterno, ra-
tiones caussales: ut ita decretum hoc re-
spexerit fidem, ex vocatione, missione Re-
dem-

DE PRÆDESTINATIONE. [L.III. C.II.] 157

demoris & misericordiâ universali, efficaciter receptam. Atque ut Justificationis documentum pax Dei, sic Prædestinationis indicium est idem justificationis, adoptionis & sanctificationis, testimonium.

Qv. 1. *Quid dicimus Prædestinationem?*

Decretum electionis Dei æternum, quo is mera ex gratiâ & misericordiâ propter Christum, secundum propositum & præscientiam suam, verè & finaliter credituros, ad vitam æternam, nec non ad justificationem, sanctificationem atque crucem Christi in tempore, ordinavit.

Qv. 2. *Quomodo probatur analogia inter Justificationis & Prædestinationis rationes caussales?*

Scriptura ipsa docet, non nisi promissionis filios electum Israelem esse; Rom. IX, 6. 8. atque ita conclusisse Deum omnes in incredulitatem, ut omnium misereretur. ib. c. XI, 32. Caussa ergo impulsiva intra Deum est mera misericordia, ne quidquam in nobis singamus dari ex nobis, quod Deum ad electionem & amorem movere potuerit. Etsi enim credentes dicuntur electi in Christo, ante iacta mundi fundamenta, Eph. I, 4, 5. ab initio ad salutem, in sanctificatione Spiritus & fide veritatis: 2. Thess. II, 13. tamen ipsa illa fides, ad quam respexit Deus, non tam nostrum, quam Dei opus est, neque aliter spectatur in eligendo,

quam

158 DE PRINCIPIS [L. III. C. II.]
quām in *justificando*; sed *credere & operari*, fides
& opera, utrobique opponuntur.

Qv. 3. *Quānam sunt principia decreti illius, non
absoluti, sed respectivi?*

Duo: propositum & præscientia, πρόθεσις &
προγνώσις. Rom. IX, 28, 29. *Propositum* illud est
voluntas Dei gratiosa, quam proposuit in se ipso,
ut, qui in Christo reperiantur, vocationis verbo
obsequuti, Christi cohæredes futuri sint. Rom.
IX, 17. 28. Eph. I, 5. 9, 10, 11. 13. Fundatur in Dei
misericordiâ & justitiâ. Ezech. XXXIII, 11. 1. Tim.
II, 4. *Præscientia* verò in omniscienciam Dei, secun-
dum quam *Nota sunt Deo ab æterno omnia opera sua*.
Act. XV, 18. Rom. II, X, 29. Ex quo intelligitur ea-
dem causa, & executionis in tempore, (remissionis
peccatorum) & decreti ab æterno, esse. Neque
enim præscientiæ obiectum aliud esse potuit, quām
fides, tanquam medium ad justitiam & salutem ordi-
natum; Eph. I, 4. 2. Thess. II, 13. vel ipse *Christus*,
in quo existent. Gal. III, 27, 28. Rom. II, X, 1, 29, 30.

Ex duobus illis principiis constituitur decre-
tum *Electio*nis & *Reprobacionis*, voluntas Dei conse-
quens, quās spectat homines sub discrimine, qui
futuri sint poenitentes, vel impoenitentes, desti-
natque illos ad salutem, hos ad exitium. Marc.
XVI, 16. *Voluntas autem antecedens ex misericor-
diâ immediatè fluit, omnes homines in communi
miseriâ intuens ac cupiens salvos fieri; ex justitiâ
simul constituens media cum ordine.* Joh. III, 16.
18. 36. Hebr. X, 28, 29.

Qv. 4.

Q. 4. Ad voluntatem istam antecedentem quænam momenta referuntur, prædestinationis actum quasi antecedentia?

Tria: Universalis misericordia & φιλανθρωπία. Ezech. XXXIII, 11. Rom. XI, 32. 1. Tim. II, 4. 2 Pet. III, 9. Filii missio universalis, ut propitiatio esset pro omnium peccatis, & justitiae divinæ satisficeret. Joh. III, 16. 2. Cor. V, 19. 21. 1. Tim. II, 6. Universalis vocatio, ut per verbum fides, tanquam conditione testamentaria, accenderetur. Matth. XXII, 19. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47. Act. XVII, 30, 31. Coloss. I, 23. Rom. I, 16. X, 14. 17, 18. XV, 18.

Observandum, quod momentorum hic ordo haud confictus sit, verum observatus in locis Scripturæ adductis.

Q. 5. Quænam est analogia inter Vocationem & Prædestinationem?

Quos preservavit, eos prædestinavit, & quos prædestinxerat, ipsos etiam vocavit, non tantum universaliter, sed & specialiter, tanquam vocationis efficaciam amplectentes: nam, quos ita vocavit, iustificavit quoque ac glorificavit. Rom. VIII, 29, 30.

Prædestination æquè ac Vocatione, sicuti ad vitam æternam, pariter ad Sanctificationem, ut finem intermedium, tendit: ibid. Eph. I, 4. II, 10. 2. Thess. II, 13. ad conformatiōnēm viæ crucis Christi, ducentis ad gloriam. Rom. II, 28, 29. Phil. I, 29. 1. Thess. I, 6. II, 14. III, 3. 1. Pet. I, 11. II, 20, 21.

Hæc observatio refellit calumniam, ac si Electionem

160 DE PRÆD. SIGNIS. [L. III. C. II.]
ctionem statuentibus perinde sit, ut vivatur, piè
an impiè.

Hinc etiam *signa* Prædestinationis & Vocatio-
nis sunt eadem, quæ Justificationis; videlicet
πνεύσασις fidei, cum reliquis fidelium proprietati-
bus internis, à Spiritu S. effectis. Matth. V, 3, 4, 5.
Joh. X, 28, 29. quarum studio *Vocatio & Prædesti-
natio* firmantur. 2. Pet. I, 10. conf. Qv. 7.

Qv. 6. *Quisnam idoneus est ad judicandum de
Electione?*

Nemo alias, nisi qui ipsos gratiæ sanctificantis
actus intrasé expertus sit. 2. Pet I, 9, 10, 11. conf.
Præfatio German. B. Luth. in Epistolam ad Roma-
nos de cap IX.

Qv. 7. *Ex quo fundamento scrupuli circa hanc
doctrinam optimè eximuntur?*

Quemadmodum indicia de Electione sui certissi-
ma petuntur à posteriori, nempe ab effectibus ipsi-
us Vocationis spiritualibus: Rom. II, 18. conf.
Th. Mor. II. qu. 1. sic reliqua, de Vocatione vel
Prædestinatione aliorum, dijudicantur optimè à
priori, nempe ex attributis divinis, exemplo Moysis
& Pauli. Deut. XXXII, 4, 5. Rom. XI, 33. &c.

Qv. 8. *Si Deus miseretur, cuius vult, & indurat,
quem vult, Rom. IX, 18. an non in prædesti-
nando & reprobando sine omni respe-
ctu egit?*

Voluntas Dei quod non capienda sine or-
dine & respectu, ibid. v. 22, 23. liquet; ubi ea-
dem voluntas adversus impios describitur cum
ordine longanimitatis, & respectu eo, quod appa-
ra-

DE JUST. ET PRÆD. ABUSU. [L.III. C.II.] 16f
rati sint ad interitum culpā & sponte suā; item
Rom. II, 3. 5. Joh. III, 36. erga pios autem, cum or-
dine divitiarum gloriæ, & respectu eo, quod Deus
præpararit ipsos ad gloriam haud renitentes. Conf.
Pſ. XIIIX, 26, 27. Hos. XIII, 9. cum Rom. V, 12. IX,
15. XIV, 6. 2. Petr. III, 9. & Hebr. III, 11, 12.

THESES MORALES.

TH. I.

Abusus doctrinæ, & Justificationis & Prædestina-
tionis, maximum detrimentum cultui Dei
affert; evitandum vero salutis ordine ob-
servato.

Qv. 1. In quonam consistit abusus ille cum
detrimento?

Abusus doctrinæ & Justificationis & Prædesti-
nationis committitur, quando persuasio fidei ju-
stificantis est vana. Detrimentum hinc tantum,
ut, si quis sibi justificationem coram Deo persua-
ferit falsō, deinde is non sub gratiā existens, verū
adhuc sub lege & peccato, ad nullas virtutes veras
emergere hoc in statu possit. Rom. VI, 14.

Vana est justificantis fidei persuasio, si ejus *quid-
itas*, quæ ponitur in apprehenso Christi merito,
cogitationibus de fiduciâ in Christum inani-
bus tribuitur, destitutis verâ affectûs *qualitate*,
Spiritûs Sancti indole & fructibus pœnitentiâ di-
gnis. Jac. II, 26. Rom. IV, 12, 18, 19. Luc. XIII, 24, 26.

Qv. 2. Quomodo evitari iste abusus potest
& debet?

L

Si

Si quis salutis ordinem verâ pœnitentiâ observet fideliter, ut ex signis fidei à Spiritu S. effectæ ac fructibus nōrit, legem adversus ipsum non esse amplius. Gal. V, 18, 23.

TH. II.

Verus Justificationis & Prædestinationis usus apud justificatos in eo consistit, ut animus utriusque firmitudine & misericordiæ divinæ gustu imbutus, in amore Dei radicetur ac fundetur magis magisque, tanquam scatrigine perpetuâ divinarum virium, & actionum adoptionis spiritui consentanearum.

Qv. 1. *Quomodo certiores fieri possumus
Prædestinationis & Justificationis
nostræ?*

Ex justificationis adjunctis ac signis, adductis supra Th. Doctr. II. qv. 8. & Th. III. qv. 5. præsentim verò ex gustu misericordiæ & dilectionis Dei sub cruce & temptationibus. Rom. V, 1, 2, 3, 4, 5. IIIX, 28, 29.

Qv. 2. *Quid hinc commodi ad praxin Theologicam?*

Multum omnino: nam, si quis in amore Dei radicatur ac fundatur penitus, ad quod negotium firmitudo prædestinationis & justificationis apud animum non parum confert; paulatim fiet, ut

ut impleatur fidelis ad omnem plenitudinem Dei, recipiens è promissionibus attributorum quorumvis efficacem vim atque imaginem. Charitas enim Christi, quā credentium quisque perfunditur, ipsā cognitione ita superior est, ut Deus secundum vim, in iis agentem, possit omnia facere, supra ea, quae petunt aut mente concipiunt. 2. Pet. I, 8, 9, 10, 11. Eph. III, 18, 19, 20.

Qv. 9. Quum fides sit principium agendi apud regenitos, estne id etiam charitas

Dei?

Fides principium agendi est, quatenus per charitatem efficax, & passivam, quā Dei erga nos amorem persentiscimus, atque hinc deinde activam. Gal. V, 6. Conferatur cap. V, ad Rom. integrum. Item suprà Lib. II. c. III. Th. Moral. I.

Charitas Dei *passiva* in nobis, quæ ex ipsā fide sentitur immediate, est ipse fons, quo se se effundit Spiritus S. in cordibus, viresque ad agendum bonum confert & confirmat. Rom. V, 5. &c. 2. Cor. V, 14. Eph. III, 18, 19, 20. Conf. Joh. V, 42. Arnd. de V. Ch. L. II. c. XXI. XXV. XXIX. L. III. c. VI. ad Rom. II X, 38.

AD TOTUM CAPUT

Conf. Joh. Arnd. de Vero Christ. Lib. I. cap. XIX. XX. XXII. XXXII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. Lib. II. cap. II. III. IV. V. VI. XIII. XXII. XXXIV. XXXV. LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. Lib. III. cap. VIII. IX. XII. XIII. XVII. XX. Lib. IV. part. II. cap. XI. XII. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI.

L 2

CAP.

CAP. III.

De Gratiæ miserantis & sanctificantis fructibus, & Renovationis negotio.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Gratiæ miserantis & sanctificantis, per fidem in animo fundatæ, fructus immediatus est libertas spiritualis, quâ mens se Domini spiritu vindicatam sentit à morte, peccato & lege.

Qv. 1. *Regenerationis & Justificationis quisnam fructus immediatus est?*

Fructus regenerationis & justificationis est tum *privativus*, tum *positivus*: privativus est libertas, status animi spiritualiter liberati; afferens simul fructus *positivos*, spiritum adoptionis, pacem, gaudium, charitatem, & paulatim reliquas *virtutes*, unctionemque & ob-signationem. Gal. V, 1. 22. Joh. II X, 34. Rom. V, 1. &c. II X, 15. XIV, 17. 2. Cor. I, 21, 22. III, 17.

Qv. 2. *Liberatio spiritualis quotuplex?*

Ex redēctione Christi vera fides apud hominem *liberationem efficit*: & quidem (1) libertatis *inchouiae*, sed veræ; Rom. VI, 22. II X, 2. Joh. II X, 36. (2) libertatis perfectæ, seu *consummatæ*. Rom. II X, 21. Hæc dicitur *libertas gloriae filiorum Dei*, ibid. illa est gratiæ.

Prior

Prior est hujus vitæ: 2. Cor. III, 17. posterior est illius consummatio, post hanc vitam; eodem sensu dicta & *regeneratio*, Matth. XIX, 28. *ad p̄tio*, *redemptio corporis nostri*. Rom. II X, 23. (conf. c. VII. 24.) cuius caussâ fideles interim *habent primitias spiritus*, ib. *arrhabonem hereditatis*. Eph. I, 14. IV, 30.

Qv. 3. *Libertas quotuplex?*

Triplex: à morte, peccato, & lege. 1. Cor. XV, 54, 55, 56.

Qv. 4. *Libertas à morte quatenus datur?*

Libertas à morte spirituali per regenerationem datur eatenus, ut spiritu vitæ in Jēsu Christo animatus homo, aculeum mortis ejus experiatur quidem adhuc, non verò dominantem, sed sufficientem, & fide victoriam tueatur. Rom. II X, 2, 10. 1. Cor. XV, 56, 57.

Libertas à temporali morte datur eatenus, ut hæc cum vitæ hujus incommodis quibusvis apud regenitum non maneat pœna, idcōque nechomo dicatur mori. Apoc. XIV, 13. Joh. XI, 25, 26.

Libertas ab æternâ morte datur eatenus, quatenus vita spiritualis apud hominem dominatur. Joh. II X, 51. Rom. II X, 6, 10. 1. Joh. III, 15. Conf. Lib. II. c. I. Th. Doctr. II. & III.

Qv. 5. *Num & à Diabolo, qui mortis imperium tenet, libertas datur?*

Quotquot metu mortis servituti fuerint obnoxii, conversi ad Deum à potestate Satana, spiritum adoptionis accipiunt ac liberi redduntur, ut possint Diabolo resistere. Act. XXVI, 18. Hebr. II, 14, 15. Jac. IV, 7. 1. Joh. V, 18.

L 5

Qv. 6.

Qv. 6. Unde libertas à morte?

Ex libertate à peccato, quod mortis aculeus est.
1. Cor. XV, 56. Libertas autem à peccato est duplex:
à damnatione, Rom. II X, 1. 12. & à dominio, seu do-
minandi efficacia, aut servitute c. VI, 2, 3. 6. 12. 14.
18. 22. Conf. lib. II. c. I. Th. Doct. VII. &c.

Dominium peccati est, ubi obtemperatur ei in cu-
piditatibus; quod quidem sub gratiâ non fit, Rom.
VI, 12. 14. Conf. lib. II. c. II. th. doct. I. qv. 3.

Qv. 7. Unde libertas à peccato?

Ex libertate à Lege, quæ peccati est potentia.
1. Cor. XV, 56. Rom. VII, 5. 11. 13. A legi libertas,
quæ per spiritum fidei existit, Rom. III, 27. 31. II X,
2, 3, 4. 10. c. XIV, 17, 18, 19. 2. Cor. III, 17, 18. IV, 13.
potissimum triplex est: à justificatione legis, Gal.
III, 21, 22. & maledictione, ib. v. 13. Ps. LI, 10--14. à
legis coactione, quo sensu lex justo non data est,
1. Tim. I, 9 utpote cui datus spiritus potentia, &
charitatis, & moderationis spontaneus. 2. Tim. I, 7.
à ritibus Mosaicis, & omni auctoritate humanâ in
crendis vel agendis sub necessitate ad fidem,
gratiam ac salutem. Gal. II, 5. V, 1. 13. Col. II, 20, 21,
22. Rom. XIV, XV, 1. Cor. VI, 12. II X, 9. X, 28.

Qv. 8. Abusus libertatis quotuplex?

Abusus libertatis in eo teritus veratur, quod
caro eam ad se rapiat, quæ spiritui unicè debe-
tur: neque ipsa ad corpus quidem aliter referen-
da est, nisi quatenus eam spiritus dominium ad-
miserit. Gal. V, 13. 1. Pet. II, 16. Rom. II X, 10. 1. Cor.
VI, 12. 13. Conf. L. II. c. III. Th. Mor. III.

Est autem abusus triplex: ratione sui, adver-
sus

sus temperantiam & moderationem animi, Rom. XIII, 13, 14. XII, 3, 2. Tim. I, 7. ratione *alterius*, aduersus charitatem, Gal. V, 13. Rom. XIV, 15. &c. 1. Cor. lIIX, 9. &c. & ædificationem. c. X, 23, 24. ratione *superiorum*, aduersus æquum ordinem, Oeconomicum, 1. Tim. VI, 2. Civilem, aut Ecclesiasticum. Matth. III, 15. Rom. XIII, 2. 1. Cor. IX, 19, 20, 21, 22. X, 32, 33. XIV, 40.

TH. II.

Libertatem spiritualem comitantur reliqui fructus: adoptionis testimonium, pax, gaudium in Spiritu S. unctio, charitas cum cæteris virtutibus; sequuntur obsignatio, arrhabo, unio mystica.

Qv. 1. *Quid in Scripturis S. denotat adoptio?*

Adoptio, *παροχή*, significat jus illud, quo filii Dei sunt facti, qui in Christi nomen credunt. Joh. I, 12.

Diffreret ab *humana* adoptione, quod hæc inter homines naturalem nativitatem ex eo, qui adoptat, non supponit; *divina* autem illa supernaturalem ac spiritualem regenerationem requirit omnino. Joh. I, 13. Jac. I, 18.

Qv. 2. *Unde testimonium a loptionis?*

Ex ipsa Regeneratione spiritus adoptionis existit, qui testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii & heredes Dei, Rom. lIIX, 16, 17. 1. Joh. V, 4, 10. & operatur clamorem *filialem*, *Abba*! *ater!* Rom. lIIX, 15. Gal. IV, 1, 6.

L 4

Qv. 3:

Qv. 3. Pax quomodo exoritur, & gaudium in
Spiritu S.?

Justificati ex fide pacem habent apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum; per quem etiam adducuntur fide in gratiam constantiae, Rom. V, 1, 2.
Pax ea est supernaturalis tranquillitas conscientiae, orta ex adoptionis testimonio interno, tanquam documento initiae unionis mysticæ, corda & mentes custodiens in Iesu Christo, Rom. II X, 6, 16. XIV, 17. Phil. IV, 7. Conf. Joh. XIV, 27. XVI, 33.

Eandem pacem gradus admittere, appareat Rom. V, 1. & 11, quò spectat gaudium in Spiritu S. cum gloriatione. ib. & c. II X, XIV.

Qv. 4. Quid dicitur *unctio*?

Unctio, quemadmodum in Vet. Testamento conferebatur Regibus, Prophetis & Sacerdotibus, ad virium, divinitus impetrandarum, necessitatem adumbrandam; ita in Novo designat vires & dona Spiritus Sancti, à Christo acquisita, ad officium spirituale Regalis sacerdotii exercendum, 1. Pet. II, 9. Act. X, 38. 2. Cor. I, 21, V, 5. Eph. I, 13, 14. IV, 29, 30. 1. Joh. II, 27. Conf. L. I. c. II. th. doct. II. q. 3. & th. VI. q. 2. It. Th. Mor. I. q. 1. Arnd. de V. Ch. I. IV. p. I. c. III. §. 5.

Qv. 5. Quodnam est indicium, ex quo fideles unctionis apud se fiant certiores?

Charitas Dei, quæ sentitur effusa in cordibus verè pœnitentium ac credentium per Spiritum Sanctum, estque ideo signum, hunc datum esse. Rom. V, 5. unde fluunt cæteræ virtutes, ib. c. V, 2, 3, 4. conf. 1. Cor. II X, 3. Gal. V, 22.

Qv. 6. Quid est obsignatio & arrhabo?

Quan-

Quando Spiritus S. vires ac dona sua, fidelibus collata, penes animos ex promissionibus Evangelicis etiam confirmat, testimoniumque suum, instar sigilli & arrhae seu depositi, exserit, ac relinquat in iis firmum atque efficax, tendens ad futuram gloriam & hereditatem. 1. Joh. III, 24. IV, 13. 2. Cor. I, 22. V, 5. Eph. IV, 30. Joh. VI, 54. &c. Rom. II X, 11. Phil. III, 21.

Qv. 7. *Unio mystica quid?*

Denotat *statum* verè fidelium, quo isti cum Deo spiritualiter uniti arctissimè sunt per fidem, ut non tantum dona Dei acceperint, sed Deus ipse habitet in iis, mediante Christi carne & spiritu. 2. Petr. I, 4. Joh. VI, 56. XIV, 23. XVII, 21. 26. 1. Cor. III, 16, 17. VI, 15. 17. 19.

Actus unionis hujus incidit cum *fide* in *verâ contritione*: 2. Pet. I, 4. *status autem confirmationis* sequitur *charitatem & obsequium*. Joh. XIV, 23.

Alia est *unio mystica*; alia, *personalis unio in Christo*; alia, *sacramentalis*.

Qv. 8. *Unio mystica quomodo in sacris describitur?*

Describitur variis modis & figuris. Ratione *ad junctorum & effectuum*; agnitionis mutuae & sanctificationis: Joh. X, 15. XV, 1, -10. XVII, 21. &c. 1. Cor. VI, 17. Hebr. II, 11. *vitæ spiritualis*: Gal. II, 20. continuationis per modum adventus cum cœna & gustu, manifestationis. &c. Joh. XIV, 18. 21. Ap. III, 20. Hebr. VI, 4, 5. Sub figura conjugii, Eph. V, 29. 31, 32. capitum & membrorum, ib. c. I, 22, 23. IV, 15, 16. V, 23. Col. I, 18. vitis & palmitum. Joh. XV, 1, 2.

Unio mystica supponit ac comprehendit reliquos gratiae applicatricis actus & gradus, regenerationem, illuminationem, adoptionem, unctionem & oblationem, cum arrhabone & perseverantia.

TH. III.

Renovatio sequitur Justificationem, versaturque in hujus fructibus conservandis atque excolendis. Ipsa Regenerationis, Conversionis seu poenitentiae partes, in spirituali Mortificatione & Vivificatione sitas, apud fidem in omnibus facultatibus magis magisque semper instaurat: utiturque in eam rem potissimum Evangelio, inserviente quidem Lege ac Cruce; ad abnegationem, mortis & resurrectionis Christi viribus, præstandam.

Qv. 1. *Renovatio quotupliciter sumitur?*

Renovatio, seu *sanctificatio*, latè dicitur, cùm significat primam spiritualem animi mutationem ex regeneratione: ut Tit. III, 5. strictè autem accipitur hoc loco, designans regenerationis continuationem assiduam. Rom. XII, 2. 2. Cor. IV, 16. Apoc. XXII, 11.

Qv. 2 *Renovationis seu sanctificationis hujus quænam sunt partes?*

Eadem, quæ conversionis, seu regenerationis, & poenitentiae; quatenus continuandæ sunt: privativa, quæ dicitur contritio, mortificatio, exutio vete-

veteris hominis, crucifixio carnis cum affectibus & concupiscentiis. Rom. VI, 6. 11. Eph. IV, 22. Col. III, 5. 8. 9. Rom. II X, 13. Gal. V, 24. & positiva, quæ est fidei instauratio, vivificatio, induitio novi hominis, ambulatio in novitate vitæ & spiritus, purgatio cordis per fidem. Act. XV, 9. Gal. II, 20. Col. II, 13. Eph. IV, 24. Rom. VI, 4. 6. VII, 6. II X, 14. Conf. ad utramque Joh. XV, 2. 1. Joh. I, 7. Hebr. IX, 14.

Differentia est verò inter *Conversionem* & *Renovationem*, tam ratione subjecti, quod ejus est homo irregenitus, hujus autem regenitus; quam partium, quod hæc in *Conversione* hominem liberent mortis spiritualis dominio, & operibus mortuis, fidemque accendant; in *Renovatione* autem ab ejusdem mortis spiritualis adhæsionibus atque infirmitatis sordibus purgent, roboréntque fidem. Joh. XV, 1, 2. 2. Cor. VII, 1. conf. Hebr. VI, 1. Unde & dicitur hæc *pænitentia quotidiana*. 2. Cor. IV, 16.

Qv. 3. *Quænam facultates in homine subiectum
Renovationis sunt?*

Proximè quidem *superiores*, voluntas & intellectus; simul autem & *inferiores*, affectuum & sensuum motus, atque appetitus, cum membris corporis. Rom. VI, 12, 13. XII, 1, 2, 2. Cor. VII, 1. Gal. V, 24.

Qv. 4. *Renovatio quibus mediis excolitur?*

Media ex parte Dei sunt, *Verbum Legis atque Evangelii & Sacraenta*, Jac. I, 18. 21. 1. Joh. III, 9. Rom. VI, 4. Tit. III, 5. Joh. VI, 56, quorum efficacia fluit ex *communione mortis & resurre-*
cione.

172 DE PARTIBUS RENOVATIONIS. [L. III. C. III.]

ctionis Christi, Rom. VI. 2. Cor. IV. Phil. III. 10.
Coloss. II. 10, 11, 12. tanquam instaurazione no-
strum universam.

Medium ex parte hominis est fides, quam efficacia
illa per explorationem sui ac confirmationem, per
charitatem erga Deum atque homines, usurpatur.
Gal. V. 6. 1. Pet. I. 5. 2. Pet. I. 5. 1. Thess. I. 3. 2. Thess.
I. 11. Eph. III. 17. &c. 2. Cor. XIII. 5.

Qv. 5. Verbumne Legis, an Evangelii, præcipuas
partes in renovando praestat?

Evangelium, quatenus per promissiones suas ex mi-
serationibus Dei agnitis confert omnia ad vitam &
pietatem necessaria. Rom. XII. 1. 2. Petr. I. 3. 4. Red-
dit autem non aliter divinæ naturæ nos compo-
tes, quam si fugerimus corruptionem, quam est in
mundo per cupiditatem. ibid. Quod ipsum et si ex
Evangelio quoque completur, incipit tamen sem-
per ab usu medii pædagogici Legis, vel Evangelii le-
galiter primùm adhibiti, sive latè dicti. Conf. qu. 14.

Qv. 6. Estne ordo hic perpetuus, ut renovatio sem-
per opus suum instauraret incipiendo à mor-
tificatione?

Omnino: quia semper reliquæ peccati recru-
descentes antè subigendæ sunt, quam vita spiritua-
lis impedita refici ac röborari possit. Rom. VI. II X,
13. XII. 21. 2. Cor. IV. 10. 16. Eph. IV. 25. 1. Petr. IV,
1. De qua re dictum Christi primarium est 2. Cor.
XII. 9. In infirmitate, quam nempe affligitur caro,
potentia mea perficitur. Conf. L. I. C. II. Th. M. III.
q. 3. L. III. C. III. Th. M. II. q. 2.

Qv. 7. Quid de usu crucis Christi observandum?

Uſus

Uſus crucis in ſalutis ordine tantus eſt, ut hinc tota doctrina Christiana ab Apoſtolo dicatur *crux Christi*. 1. Cor. I, 17, 18. Gal. VI, 12, 14. Ut enim imputatio crucis Christi ne irrita ſit, neceſſarium eſt ſecundum Evangelium; tum *ante justificationem* in pœnitentiā, tum *post justificationem* in renovatione, ſpirituale exercitium crucis, ut priuī commori- amur Christo, & poſteā *crucifigamus carnem cum affeſtibus & concupiſcentiis*; eum in finem, ut vita ſpiritualis emerget maneātque vera. Gal. V, 24, 25. Cujus neceſſitatis figura in Baptismo eſt proposita. Rom. VI, 4.

Quando etiam omnis afflictio ſpirituali iſti mortificationi, ſeu contritioni, excitandæ plurimū conducit; hinc conditio eſt glorificandorum ordinaria, & dicitur *baptismus crucis*. Actoř. XIV, 22. Rom. II, 9, 17. Matth. XX, 23. Luc. XII, 50. Fundamentum in corruptionis pravitate intimā ſitum, quæ conterenda eſt, ut ſpiritui detur locus, & ejus fructibus. Quod igitur in carne Christi meritorie factum, in nobis ad finem ipsum applicari, & ſic adimpleri debet. Joh. XII, 24, 25. Col. I, 24. Conf. Apol. A. C. de Pœnitent. it. p. 193. 213.

Qv. 8. *Quotuplex ergo uſus crucis, tanquam adminiculi pedagogici?*

Crux species tentationis bona eſt. 1. Cor. X, 13. Gal. IV, 14. conf. ſuprā Lib. I. c. III. th. mor. II. & III. Lib. II. c. I. th. doct. III. eaque vel ſpiritualis, vel corporalis. Ultraque non eſt pæna fidelibus, ſed maledicta, paterna caſtigatio. Ps. LXXIII. Heb. XII, 1. Cor. XI, 32. Conf. Lib. II. c. I. Th. III. qu. 5. Itaque uſus crucis intervit Renovationi ex parte & privativi, 1. Petr. IV, 1. in dete- gendo

174 DE CRUCIS ANALOGIA. [L. III. C. III.]

gendo & agnoscendo peccato *defectum fiduciæ*, patientiæ &c. Hebr. XII, 3, 4, 5. *affectionum* & concupiscentiarum. Ps. CXIX, 67. de cuiusmodi usu *legis* vid. Lib. II. c. I. Th. Mor. III. qv. 4. & th. IV. qv. 3. & ex parte *positivi*, ib. & v. 75. in detegendo, agnoscendo & augendo *fidei incremento* atque virtutum. Hebr. XII, 11. X, 36. 1. Petr. I, 6, 7. Rom. V, 3, 4, 5. II X, 25, 28, 37, 38, 39. Iac. I, 2, 3, 4, 12. 2. Cor. IV, 10, 13, 16, 17, 18. Qv. 9. *Quænam est analogia inter crucem & gloriam?*

Quòd apud lapsos non detur aditus ad gloriam, nisi per crucem in Christo: Rom. VIII, 17. &c. 2. Tim. II, 11, 12. 1. Petr. I, 11. & quanta crucis fuerit, tanta & gloriæ conformitas sit futura; 2. Cor. IV, 17, 18. Phil. II, 5, 9. adeò certè, ut etiam passionem fidelium comitetur solatium *in Spiritu*, & Christi potentia infirmitatem *passivam*, sicut in ipso, ita in ejus corpore *mystico*, tum in hâc, tum in futura vita sequatur: 2. Cor. I, 5. IV. V. Phil. III, 20, 21. Hebr. XI, 39, 40. immò, quòd inde, qui gloriam æternam vivâ spe ament, non minùs ament crucem, superrentque omnia fide. Rom. V, 2, 3. II X, 37, 38, 39.

Qv. 10. *Quidnam ergo est Crux?*

Crux nihil aliud est, quâ in afflictio piorum, à Coelesti Patre immissa, vel permissa, ut per Christum subactâ carne spiritus potenter se exserat, & corpus cum anima ad gloriam perducatur.

Qv. 11. *Quid est Renovatio?*

Est mutationis internæ salutaris continuatio, quâ ex mortis & resurrectionis Christi viribus peccatum magis magisque in intellectu & app-

benigne

DE RENOVATIONIS SYNONYM. [L.III.C.III.] 175
titu mortificatur, & vita spiritualis excitatur, con-
servatur atque augetur, ne illud dominari possit.

Qv. 12. *Renovationi quid opponitur?*

Gratiam Dei frustrà accepisse. 2. Cor. VI, 1 ob-
livionem accipere purgationis veterum peccato-
rum. 2. Petr. I, 9. Contristare, vel excutere Spi-
ritum S. Eph. IV, 30. Indurari seductione pec-
cati, deficere à Deo vivo. Hebr. III, 12, 13.

Qv. 13. *Quænam ejus synonyma sunt?*

Principium sustentationis fidei firmum retine-
re ad finem usque. Hebr. III, 14. Purgatio. 1. Joh.
III, 3. 2. Cor. VII, 1. Exuitio veteris, & Induitio novi
hominis. Rom. XIII, 13, 14. Eph. IV, 22, 23, 24. Col.
III, 5. 12. præsertim vero *Abnegatio*. Tit. II, 12.
Conf. supra lib. III. c. I. th. 5. qv. 8.

Qv. 14. *Renovatio cur dicitur Abnegatio?*

Abnegatio privativum Renovationis partem
magis exprimit, quoniam hæc militia Christiano-
rum est, ut peccatum debelletur. 1. Joh. III, 8. quod
tamen solâ contritione haud efficitur, nisi mortifi-
cata pravitas sepeliatur ita, ut resurrectionis effi-
cacia positiva dominetur, omne malum extermin-
ans. Si Christus in nobis, corpus quidam mortuum
propter peccatum crucifixum; spiritus autem vita
propter Justitiam, qua positâ peccatum interit.
Rom. II X, 10. Christus sic cognoscendus, ut ex-
periatur & vim resurrectionis ejus, & commu-
nionem ejus perpetuationem, & sic conformes mor-
ti ejus siamus, ut perveniamus ad resurrectionem
ex mortuis spiritualem veram. Phil. III, 10, 11.
Conf. qv. 5. & p. 56. 137. 144. 184.

Abne-

Abnegatio incipit ex mortis Christi viribus, compleatur ex ejusdem resurrectionis viribus, contra Satanam, mundum & me ipsum. Rom. XII, 1, 2. VI, 5. I. Petr. II, 1, 2, 3. Gal. VI, 14. Tit. II, 12, 13. I. Joh. V, 4. Sequitur ~~donum~~ facultas judicandi. Rom. XII, 2. Phil. I, 9, 10. I. Joh. II, 27.

TH. IV.

Renovatio præstat impletionem Legis; agnoscit gradus, ac præmia diversa: ejusque gratia & amitti, & conservari potest.

Qv. 1. Num renovationis exercitio lex impletur & servatur?

Ita sentit Scriptura sacra. Nam per fidem lex stabilitur, & impletur in iis, qui non secundum carnem incedunt, sed secundum spiritum. Rom. III, 31. IX, 4. Charitas est legis impletio. Rom. XLI, 10. In Christo Iesu nihil aliud valet, quam observatio mandatorum Dei, h. e. fides per charitatem efficax, novæ creationis status. I. Cor. VII, 19. Gal. V, 6. VI, 15. Per hoc scimus, quod ipsum novimus, si mandata ejus servamus. Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in eo veritas non est. Qui autem servat sermonem ejus, vere in hoc caritas Dei adimpta est: per hoc scimus, nos in ipso esse. I. Joh. II, 3, 4, 5.

Qv. 2. Estne autem legis impletio illa perfecta?

Non perfecta quidem absolute: quia est tamen vera, comparata perfecta esse, & gradus a-

gnos-

DE RENOVATIONIS GRADIBUS. [L.III.C.III.] 177
gnoscere potest. Metus non est in caritate, perfecta caritas foras ejicit metum; quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit, non est perfectus in caritate. 1.Joh. IV,18.

Crescendum in Renovatione Christus promissione confirmat, Patrem fideles purgaturum esse, ut copiosorem fructum ferant: Joh. XV, 2.5. ut tanquam ager bonus, grana ferant, alii tricena, alii sexagenaria, alii centena. Marc. IV, 20. Et Paulus praecipit proficiendum amplius, 1.Thefl.IV,1,10. ut augeamur, Eph. IV, 15. & perficiamus sanctificationem in timore Dei. 2.Cor. VII, 1. Unde distinguit inter regenitos adhuc carnales, h.e. non quidem voluntariè secundum carnem viventes, à carnis tamen infirmitatibus minus, quam par sit, liberos; & spirituales, quos perfectos dicit, redditos firmiores, habentes sensus propter habitum exercitatos ad discretionem boni ac mali. 1.Cor. II, 6. III, 1.3.Hebr. V, 14. XIII, 9.

Qv. 3. Quomodo secundum gradus illos & præmia diversa sunt?

Præmia sunt duplia, & hujus, & futuræ vitae.
1.Tim. IV,8. In hac vita quemadmodum peccata solent poenæ peccatorum esse, sic dona spiritualia potiora sunt præmia fidelis obsequii. Omni habenti dabitur, & exuberabit. Matth. XXV, 29. Conf. suprà Lib.I.c.III. Th.Doct.4.qv.3.5. In futura vita, unusquisque accipiet mercedem, juxta laborem suum. Matth. X, 40, 41, 42. XVI, 27. XXV, 35, 36. Luc. XIV, 14. Rom. II, 6, 7. 1.Cor. III, 8. XV, 41, 42, 58. 2.Cor. V, 10. Gal. VI, 8, 9. Ap. XXII, 12. Quocirca Apol. A. C. p. 96. Erunt dissimilia præmia propter

M

pter

¶78 DE PERSEVERANTIA. [L.III.C.III.]

pier dissimiles labores; at remissio peccatorum similiſ & equalis est omnium renatorum.

Qv. 4. *Gratia Dei potestne amitti?*

Quod amitti possit, Scriptura docet obtestationibus, ne gratiam Dei frustra receperimus, 2. Cor. VI, 1. & 2. Petr. I, 9. conf. 1. Cor. X, 12. Ebr. III, 6. 14. atque exemplis: 2. Cor. XII, 21. 2. Petr. II, 20.

Qv. 5. *Quomodo eadem conservari potest?*

Ex Dei potentia per fidem. 1. Petr. I, 5. V, 10. Phil. I, 6. Bona opera sunt necessaria; non vero ut media ex se efficacia: sed tanquam exercitia, in quibus vires accipiat fides. 2. Petr. I, 5, 6, 7, 8, 9. conf. Apol. A. C. p. 117. &c.

Qv. 6. *Potestne autem homo fidelis in gratia perseverare?*

Potest omnino, sed non sine ordine. Quemadmodum enim Christus, semel excitatus è mortuis, iterum non moritur; sic eandem in vita spirituali persistendi potentiam confert iis, qui resuscitati sunt à mortuis operibus, ut dominium peccati evitare possint. Rom. VI, 10, 11, 12. Accedunt promissiones, Joh. X, 29. Phil. I, 6. ipsaque Christi intercessio, Luc. XXII, 32. Rom. VIII, 34.

Ordo autem requiritur, ut fideles permaneant in bonitate Dei, & principium fidei firmum ipſi retineant usque ad finem. Rom. XI, 22. Hebr. III, 6. 14. Qui finis obtainendus constanti ac vero usu medium, ut verbo Dei sese exfuscent, actiones carnis mortificant spiritu, atque ardenter semper & firmius inhærent gratiæ promissiæ propter Christum, & donum perseverantie à Deo contendant. ib. V, 12, 13. Rom. VIII, 13. 1. Cor. XV, 58. Eph. VI,

16. 18.

DE LEGIS ET EVANG. ABUSU. [L. III. C. III.] 179
10. 18. 1. Pet. V, 8. Conf. L. II. c. II. Th. Mor. II.
q. 3.

THESES MORALES.

TH. I.

Ad conservandum gratiae statum necesse est, in renovationis exercitio dextrè utamur discrimine Legis & Evangelii, ne viâ legali reddamus fidem infirmam, sed rationem firmandæ fideli Evangelicam excolamus.

Qv. 1. Tentatio peccati quotupliciter regenitum afficit?

Fraus peccati ad indurandum animum (Hebr. III, 13.) est duplex; si quis retrahitur ad pristinum, vel securitatis ac presumptionis, Rom. XII, 3. vel anxietatis ac servitutis, c. II X, 15. affectum.

Oritur illud ex abusu Evangelii, translati ad carnem; hoc ex abuso Legis, Spiritum infestantis, & impedientis justum usum Evangelii.

Qv. 2. Discrimen Legis & Evangelii apud quos locum habet cum libertate Christianæ?

Discrimen Legis & Evangelii competit haud aliis, quam in quibus locum invenit *jus libertatis Christianæ*. Hoc verò incipit cum fide in cordibus verè contritis: nam datur *libertas illuc*, ubi *Spiritus ipse Domini reperitur*, hoc est, apud eos, qui sic convertuntur ad Dominum, ut corda libarentur hypocriseos *velamine*, & adoptionis spiritu potiantur, 2. Cor. III, 16, 17. Joh. 1, 12.

A jure igitur libertatis Christianæ, Legisque & Evangelii discrimine, excluduntur omnes irreguli.

180 DE LEGIS ET EVANGELII [L.III.C.III.]
niti atque impoenitentes, sive conversi nondum,
sive iterum lapsi fuerint.

Qv. 3. *Discrimen Legis & Evangelii consistitne in doctrinâ mentis, num verò in cordis affectu?*

In doctrinâ Theologicâ discernuntur Lex & Evangelium multis modis, qui intellectu percipiendi sunt ad usum variûm in vero & falso, bono & malo dijudicando. Quando autem agitur de conservando gratiæ statu in fidelibus, doctrina simplex & facilis est; difficultas autem sita in cordis affectu, doctrinæ Evangelicæ attemperando, nec tam in theoria, quam praxi ipsâ.

Luther. Comm. Gal. in cap. III. Speculativè conjunguntur facillimè; sed practicè ea conjungere, est omnium difficillimum: id quod propriâ experientia sepe didici. Item: discamus rectè distinguere tempus Legis & Gratiae, non verbis, sed affectu, id quod est omnium difficillimum.

Qv. 4. *Quid doctrina Theologica circa hanc rem sentit?*

Finis Legis est Christus, ad justitiam cuivis credenti. Rom. X, 4. Quemadmodum ergo fit in Conversione, ut Christus iis, qui lege ad ipsum adacti sunt, creditibus sit justitia; sic etiam in Renovatione, affectu legis ad agnoscendas infirmitates ita utendum, ut in Christo justificatio confirmetur. Cum timore ac tremore salutem suam constanter operari debent fideles. Phil. II, 12, Rom. VIII, 10.

Legi suus terminus debetur; & cor de agnitis suis sordibus denuò verè contritum, in Christo iterum oportet conquiescere, atque ex ejus resurrectione instaurare vires, cuius mortem in spiritu adver-

adversus carnem experitur. In *praxi* erratur, si animus in contritionis viâ *justitiam propriam* requirat immaturè, *justificationem* in Christo haud confirmans, nec spiritu ejus vivifico refectus satis: vel, si in Evangelii usu pergere conetur, antequam *carnis affectum*, quo se præter opinionem senserit pollutum, ita fregerit ac contriverit, ut *Christi potentia in justa infirmitate se exserere queat*. Hebr. X, 19. 22, 23. 2. Cor. XII, 9, 10.

Qv. 5. *Quotupliciter renovationis via legalis rediit, & fides infirma?*

Dupliciter: Unus modus est, si nova anxietas, exfuscitandæ gratiæ, cui debebat inservire, impedimento sit, fatigetque animum assiduo; vel (1) de remissione peccatorum in dubium vocandâ; vel (2) de imperfectione novæ obedientiæ, hujusque integritate & victoriâ; vel (3) de rerum indifferentium usu atque abusu. Cui timiditatis spiritui opponitur *spiritus potentiæ, charitatis & moderationis*. 2. Tim. I, 7.

Alter modus, si docendi, vel meditandi, ratio circa agenda, vel ipsam imitationem Christi, versetur *præceptivè* tantum, non *Evangelicè*, h. e. non ita, ut fides ipsa efficaciam suam exserat per charitatem; Gal. V, 6, sed hujus *speciem* modò præ se ferant opera, & propter *præceptiones* potissimum præstentur. Jer. XXXI, 32, 33. Cujusmodi genus vivendi Apostolus dicit δογματιζεσθαι. Col. II, 20. Conf. B. Lutheri *Catechism.* Maj. p. 503. & 504.

Qv. 6. *Quenam est ratio firmandæ fidei Evangelica?*

(1.) Si angor ille ab animo fideli adhibeatur
M 3 qui-

quidem ad agnoscendam intimè *indignitatem suam*, & purgandam à corruptione *spiritus paupertatem*; verum ita, ut quo magis te *indignum* senseris, eo plus admirationis ac gaudii de misericordia divina in Christo, & alacritatis ad agendum, ex Evangelicis promissionibus haurias. Quod si enim *lex dominans* tantum pædagogus ad Christum fit in *Conversione*, multo magis in *Renovatione*, & sub gratiâ, afficiendo tantum *in servire* debet. Hebr. IV, 1, 2, 6. 11, 12, 13, 14, 15, 16. &c. VI. Conf. supra Lib. II. c. I. Th. Mor. V. qv. 3. (2.) Ut virtutes ita sint *fructus spiritus*, ut fluant apud nos & alios ex sensu spirituali, seu agnitione glorie divinitatibus attributorum v. c. misericordiae, seu plenitudinis Dei. Eph. III, 19. in facie Jesu Christi, quatenus haec per fidem efficaciter agnoscitur. Gal. V, 16. 18. 22, 25. 2. Cor. IV, 6. conf. c. III, 18.

Christus ipsa est *via*, & ipsa *veritas*, & ipsa *vita*. Joh. XIV, 6. Quæ via, & nova, & viva, uberiorū declaratur Hebr. X, 19, 20, 21, 23, 24, de qua ibid. c. XIII, 9, docetur, cor non aliter, quam gratiâ firmari. Sic instauranda *simplicitas*, Matth. VI, 22, 23. 2. Cor. XI, 3, *veritas in Jesu*, Eph. IV, 21. Quam ad conservandam augendamque opus est *Verbi & Sacramentorum usu*, vigilantiæ, patientiæ, ac precum assiduo exercitio: ibid. cap. VI, 10, - 18. Hebr. X, 35, 36, ut cor fide purgetur magis magisque. Act. XV, 9. conf. p. 36.

Qv. 7. *Quomodo scandala fidem infirmant?*

Scandala non tantum data, sed etiam præter intentionem facientis accepta, fidem infirmant; quando animus ex dictis alterius, vel factis, errandi

pec-

peccandi que ansam contrahit, atque ita vires credendi & agendi spirituales minuantur. Rom. XIV. XV. 1. Cor. IX. X.

Ex utrâque parte videndum, ut tum cedatur ob charitatem & ædificationem, tum in nobis malus *fomes* reprimatur atque suffocetur. Ibid. & Matth. XXIX, 7, 8, 9.

TH. II.

Paupertas spiritûs, vera sui mundique abnegatio, seu humilitas cum patientiâ, fundamentum est virtutum omnium; in quo, tanquam officinâ, fides per charitatem se exserit erga Deum atque homines, secundum primam & alteram Decalogi tabulam; ad mala & culpæ fugienda, & crucis perferenda, bonaque exercenda internè atque externè: ut perficiatur sanctificatio in timore Dei.

QV. I. *Paupertas spiritualis quid commercii habet cum fide & abnegatione?*

Pauperias spiritualis nihil aliud est, quam vera *Contritionis* indoles, quam defectus propriarum virtutum & virium spiritualium omnium verè sentitur ita, ut homo se propter peccatum detestetur, sique & iis donis, quæ internè & externè possidet, indignum habeat, & ipsorum privatione dignum se agnoscat, submittatque Dei manibus in solidum; nihil desiderans, nisi misericordiam, ad Christum, vel tenendum, vel reti-

184 DE PAUPERTATE SPIRITUS. [L.III.C.III.]
nendum. Psal. LXXXIII, 25, 26. Matth. V, 3, 6. Joh.
IX, 41.

Sumitur autem hoc sensu vel *partialiter*, con-
tritionem denotans, alteram pœnitentiae partem;
atque sic in ea exoritur fides, & cum fide abnega-
tio; vel *totaliter*, denotans totam pœnitentiam
lapsorum aut stantium, estque idem quod abnega-
tio, & fidem comprehendit.

Qv. 2. *Abnegatio quotupliciter spectatur?*

Potissimum *dupliciter*: ut homo abneget (1)
amorem *sui*, suæque & *rationis*, & *appetitionis*, du-
cendum ac desideria, tum & honi & meriti omnis pro-
prii opinionem: (2) amorem *mundi* & *creatura-
rum extra se*, Luc. XIV, 26.

Propensio naturæ corruptæ non potest non pra-
va & *inordinata* esse; ante conversionem *dominans*,
& post eam adhuc *afficiens*, tendens contra spiri-
tum: ideò affectum ejus intimè suspectum habe-
re, & semper ante omnia exuere oportet; quod i-
psum ratione Evangelica fit efficacissimè Rom. VII,
18. Gal. V, 17. Tit. II, 11, 12. conf. p. 51, 52.

Qv. 3. *Paupertas spiritus & abnegatio quid per
fidem proximè efficit?*

Humilitatem & patientiam, tanquam fundamen-
tum omnium virtutum Christianarum. Matth.
XI, 29. Phil. I, 29. II, 6, 7. III, 10. 1. Petr. V, 5. Quem-
admodum enim origo peccatorum ex *arrogantiâ*,
amore *sui*, & cupiditate; sic bona opera ex *mortifi-
catione & exinanitione* *sui* per fidem. Conf. Thes.
Doctr. III, qv. 5, 6. Humilitas ita fundamentum
est privativè; fides ac charitas *positivè*, tanquam
fons & scaturigo.

De-

Deinde humilitas cum patientia ipse animi est *status* secundum primum præceptum, plenus timoris, fidei, spei, ac charitatis, tanquam virtutum primiarum: 2. Cor. V, 11. 1. Cor. XLI, 13. quando sentiunt fideles, datum sibi esse, non spiritum timiditatis, (timoris servilis) sed *roboris*, h. e. fidei & spei; charitatis; & moderationis, h. e. prudentiae ex timore filiali; 2. Tim. I, 7. ut abnegationis exercitio piè, justè, & sobriè vivant in hoc seculo. Tit. II, 12.

Quod quidem fundamentum instar *clavis* est præceptorum Decalogi, secundum verba singulorum explicacioni in *Catechismo Min.* præfixa: *Debemus Deum timere & diligere, ut, ne &c.*

Qv. 4. Fides quid dicto modo efficit per charitatem?

Cultum Dei, & hunc directum officiis erga Deum, de quibus tabula prima Decalogi agit; & indirectum, officiis erga se & proximum, de quibus altera. Utterque est partim internus, partim externus; producens varias virtutes, pro diverso respectu, fidei ac charitatis effectus. Conf. lib. II, c. II. Th. Mor. I.

Qv. 5. Prior tabula Decalogi quid tractat?

Veratur circa affectus cordis, purgandos fide, & charitatem erga Deum, puro corde excolendam, Act. XV, 8, 9. 1. Tim. I, 5. Matth. XXII, 37.

Supponimus hic animum, timore Dei pædagogico, fide justificante, ac misericordia & charitate Dei passivè percepta, jam purgatum; cuius affectus magis magisque purgandi, adoptionis spiritu, timoris filialis, fidei & spei, exercitio: ut ex

M 5 cha-

charitate Dei, in corde effusa, cultus Dei internus
vero erga ipsum amore se potenter exserat. Conf.
Lib. II. c. II. Th. Moral. I. & II.

Qv. 6. *Timor filialis quid differt à servili?*
Metus servilis incipit *Conversionem*, ex Legis
sensu dominante ortus, & maledictionis terrore
trahens animum ad tribunal Dei, extorquet *cœdita-*
væ opera; in quibus requiem non inveniens con-
scientia, compellitur ad agnitionem inopie, &
ipsam fidem in Christum. Gal. III, 10, 13, 19, 20, 21,
22, 23, 24. IV, 3. &c. Matth. XI, 28.

Timor filialis oritur non ex dominante metu
pœnæ, sed adoptionis spiritu, sanctitatis Dei con-
scio; qui solicitudinem affert dignam Evangelio,
ne quis tanta Dei gratia indignum se reddat, sed
patienter ac submissè ad voluntatem Domini se
conformet in omnibus. Ps. CXXX, 4. Jer. XXXII,
40. Rom. VII, 14, 15, 16, 24. &c. 2. Cor. V, 9, 10, 11.
VI, 1. VII, 1. Phil. II, 12, 13. 1. Pet. I, 16, 17. Jac. I, 25.
II, 12. in quo consistit humilitas & patientia, de
qua qvæst. 3.

Qv. 7. *Fides primi præcepti & spes quid diffe-
runt ab amore Dei?*

Amor Dei est *supernaturalis* affectus cordis à
Spiritū Sancto per fidem accēnsus, quo gratia
Dei sajutaris sentitur, & inflatur homo ad
fruendum ipsā cum omni obsequio. 1. Joh. IV, 10,
11. V, 2, 3. *Fides* seu fiducia (quæ *justificantem* con-
sequitur) est *supernaturalis* affectus cordis, ex
merito Christi apprehenso ortus, quo agnoscun-
tur beneficia Dei omnia in Christo fundata, pro-
missa fidelibus & confirmata, ut hi adversus quæ-
vis

vis mala ex *attributis* Dei se muniant per effusam
ipsius charitatem. Rom. IV, 20, 21. IX, 31, 32, 37.
39. 2. Cor. I, 20. *Spes est supernaturalis affectus*
cordis, qui bono fidei & charitatis præsente nixus,
vivo hoc fundamento bona futura tenet præsen-
tia, atque ita adversa omnia superare potest. Rom.
V, 4. IX, 24. 1. Petr. I, 4. Eph. VI, 17.

Talia vero sic inter se colligata atque implicita
sunt, ut fiducialis spes ex amore Dei, & hic ex illâ,
& utraque virtus ex humilitate & patientiâ, nec
non hæc utraque ex illis mirificè augeatur. Unde
& ordo in *Scripturis* non semper idem tenetur,
Conf. 2. Petr. I, 5, 6. Rom. V, 3, 4, 5. &c.

Qv. 8. *Quænam sunt virtutes secundi &*
tertii præcepti?

Quæ ad *sanctificationem* divini nominis, &
Sabbati spectant: ut *glorificatio* & *adoratio* in Spi-
ritu & veritate, ardor Spiritus, gratiarum actio
& invocatio assidua in Jesu Christi nomine; tum
quæ de *cultu externo* ad veram animæ quietem, in
viis Domini, & viarum sui ipsius abnegatione. (Esa.
LIIX, 13.) hominem adducunt; meditationes
Verbi, Sacramentorum digna fruitio, pia collo-
quia, conciones, preces, jejunia, publicè & priva-
tim. 1. Petr. III, 15. Joh. IV, 24. XVI, 13. Rom. XII,
11, 12. 1. Thess. V, 15. Eph. VI, 18, 19. Matth. XVII,
21. XII, 19, 20. Hebr. III, 11, 12, 13, 18. IV, 1.

Objecta precum sunt bona quælibet, *Spiritualia,*
& *corporalia:* necessaria quidem illa, prorsus *ta-*
lia, petenda sine conditione; cetera non item.
Matth. VI, 33. VII, 9, 10, 11. XXVI, 39.

Qv. 6.

opuscula

Qv. 9. Posterior tabula Decalogi quid tractat?

Versatur circa dilectionem proximi. *Luc. X, 29, 30.*
quæ dilectionem sui ordinatam presupponit ex amore Dei. *Matth. VII, 12. XXII, 39. Luc. VI, 31.* *Charitas ipsa est complexus officiorum omnium, Rom. XIII, 8, 9, 10.* secundum varios respectus. *I. Cor. XIII, 4. &c.*

Tota autem charitatis æconomia pendet ita ex fide, spe, & charitate Dei perfruendâ, ut hæc immediate pariat dilectionem iniunici; quâ oculus purgatur ad intuendas atque imitandas reliquas virtutes Dei in imagine Jesu Christi: ut *Augustinus* observat de Doct. Christ. I. II. c. 7. *Conf. Matth. XIIIX, 32, 33. Col. III, 12, 13, 14.*

Vera etiam dilectio primariò curat spiritualem alterius ædificationem: *Rom. XIV, 19.* propter quam fidelis non, quod suum est, querit, sed quod alterius & Jesu Christi. *I. Cor. X, 23, 24. Phil. II, 4, 21. Conf. L. III. c. I. Th. Mor. I. q. 2. m. 2.*

Qv. 10. Quenam reliquæ sunt virtutes præceptorum secundæ tabulae?

Variæ pro variis charitatis affectionibus & respectibus: erga superiores, *præc. IV.* contra obsequii defectum, & erga cæteros, *sequentibus*; ad prohibendum affectum iræ, *præc. V.* *I. Cor. XIII, 4, 5. Gal. V, 20, 21.* impuritatis & intemperantiæ, *præc. VI.* *I. Cor. XIII, 5.* (*conf. Rom. XIII, 13. Gal. V, 19.*) avaritiæ, *præc. VII.* *I. Cor. XIII, 5.* falsimonium, *præc. VIII.* *I. Cor. XIII, 5, 6.* omnem pravam cogitationem & concupiscentiam, *præc. IX.* *I. Cor. XIII, 5.* hujusque motus primos & originale malum, *præc. X.* *ib. v. 7. Rom. VII, 7. conf. ad utrumque Jac. I, 14, 15.*

Itaque

Itaque *præcepti IVti* virtutes sunt. Humilitas cordis & obsequium. Matth. XI, 29. Phil. II, 8. Eph. VI, 1, 2. &c. Col. III, 20. &c. Rom. XIII, 1. Cor. IV, 14, 15.

Præcepti Vti, Patientia, longanimitas cum gaudio, mansuetudo, dilectio ex misericordia, lenitas, humanitas, benignitas. Matth. XI, 29. Gal. V, 22. Col. I, 11. III, 12. &c. Eph. IV, 26, 31, 32. V, 1, 2. 1. Pet. IV, 8, 9, 10. quò & referendus amor inimici, supra dictus.

Præcepti VIti, Castitas, Temperantia. 1. Theff. IV, 3, 4, 5, 7. Eph. V, 18, 25, 28, 33.

Præcepti VIIImi, Justitia, restitutio alieni, beneficentia, industria, fidelitas in functionibus & pacis, gratia animi officium. 1. Cor. XIII, 5, 6. Ezech. XXXIII, 15, 16. Habac. III, 6. Tob. II, 21. Hebr. XIII, 16. 1. Theff. IV, 11, 12. 2. Theff. III, 10. Eph. IV, 28. 1. Cor. IV, 2. Gal. V, 22. Rom. XII, 11.

Præcepti VIIIvi, Veracitas, Constantia, correptione fraterna, fidelitas in verbis & jure jurando. 1. Cor. XIII, 7. Matth. V, 37. Eph. V, 11. Ps. XXIV, 4.

Præcepti IXni, τωρεονισμὸς & ἐγνώτεια, h.e. moderation & continentia; αὐλαγητα, animus sua forte contentus, appetitio rerum spiritualium ordinata. Rom. XII, 3. 2. Tim. I, 7. 2. Pet. I, 5, 6. 1. Tim. VI, 6, 7, 8. Hebr. III, 5. Col. III, 1, 2. Phil. III, 20.

Præcepti Xmi, Spiritus rectus; cor purum, bona conscientia, & fides non ficta; Spiritus & mens Christi; induitio novi hominis; novitas vitæ & Spiritus; nova creatura; opus creatum in Christo Jesu ad opera bona; vita in spiritu, quam sequitur ambulatio in spiritu. Ps. LI, 12. 1. Tim. I, 5. Rom.

VIII,

190 DE DILECTIONE SUI. [L. III. C. III.]
VIII, 9. 1. Joh. V, 20. Eph. IV, 24. Rom. VI, 4. VII, 6.
2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Eph. II, 10.

Qv. 11. *Dilectio sui ordinata ad quenam præcepta pertinet?*

Ad præceptum nonum & decimum, non sine applicatione reliquorum utriusque tabulæ. Rom. XII, 1, 2, 3. 1. Cor. VI, 17, 18, 19, 20. 2. Cor. VII, 1. Eph. V, 29.

Atque ex hac dilectione sui ordinata producit Petrus ordinem virtutum: primo loco ponens ex fide virtutem: h. e. habitum veræ virtutis & statum, atque inde oriundam cognitionem solidam spiritualis judicii, & fortissimam continentiam; unde patientia, pietas, & charitas, fraterna in Christo atque communis, profluant. 2. Petr. I, 5. &c. Neque aliter Paulus; quando ex mentione *electionis*, *sanctificationis* & *charitatis divinæ*, cohortatur fideles, ut ita ad justam sanctamque sui curam à Deo redacti, similiter se gerant erga alios. Col. III, 12.

Qv. 12. *Quid præterea meditandum circa virtutes singulas?*

Quomodo principia illarum, & motiva, ex fide ac charitate Dei sint derivanda, quæ ratio singularium formalis, quis exercendi modus, quæ proprietates, signa & indicia: tum verò & opposita vitia, impedimenta officiorum, atque remedia. Quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est; hæc cogitate. Phil. IV, 8.

TH. III.

TH. III.

Ex Renovatione, fideliter usurpata, resultat, unà cum Sanctificatione, spiritualis donacione seu facultas spiritualiter judicandi, tum de ipso fidei statu apud semetipsum aliosque, tum de rebus omnibus; ut verè discernantur, quæ circa & actiones, & dona spiritualia, discrepent.

Qv. 1. *Renovatio an purgat tantummodo voluntatem hominis?*

Quemadmodum corruptio à voluntate incipit, (Conf. sup. Lib. II. c. III. Thes. Mor. I.) sic & instauratio spiritualis. Ea verò est communio inter voluntatem & intellectum, ut ex ejus affectu hie statim vel tenebras, vel lucem, unà recipiat; id quod exemplo Lydiæ clarum est Actor. XVI, 14. Atque ita *novus homo* renovatur etiam magis magisque in agnitionem (eis ἐπιγνωσίᾳ) secundum imaginem ejus, qui ipsum condidit, Col. III, 10.

Qv. 2. *Quid commodi habetur ex intellectu renovato?*

Ex voluntatis renovatione augetur sanctificatio; siquidem verò intellectus simul renovatur, incrementum utrinque capit illuminatio, & facultas judicandi spiritualiter; sensusque interiores conciliant sibi *habitum*, ad sinceram discretionem boni ac mali expeditius instituendam. Rom. VI, 22. 1. Cor. II, 14. Hebr. V, 14. Phil. I, 9, 10. Rom. XII, 2.

Neque

Neque verò hoc fieri potest aliter, quām suprà descriptum est, ut semper ratione mentis quoque initium fiat à privativo, exuendâ carnalis judicii arrogantiâ & præjudiciis. 1. Cor. III, 18. II X, 1, 2. Joh. VII, 17. Conf. Lib. III. c. I. Th. Doct. III. qv. 8.

Qv. 3. *Quenam sunt virtutes intellectuales, ad docimiasiam spiritualem requisitae?*

Duæ: *scientia*, γνῶσις, σοφία, 1. Cor. II X, 1. Eph. I, 8. Col. I, 9. 2. Pet. I, 5. & *prudentia*, Φρόνησις, σύνεσις. Eph. I, 8. Col. I, 9. & quidem utraque πνευματικὴ, spiritualis, ex supernaturali Spiritū Sancti lumine: Eph. I, 9. quæ mens Christi est. 1. Cor. I 5, 16. 1. Joh. V, 20.

Scientia quidem ista in conversione existit quoque, sed renovationis seu virtutum exercitio & Scripturarum usu augenda, ut fiat prudentia; ne simus imprudentes, sed prudentes, quæ sit ipsa voluntas Domini bona, accepta, & perfecta. Eph. V, 17. Rom. XII, 2. Ita spiritualis scientia crescit ex prudentiâ, & hæc ex illâ: unde 2. Petr. I, 5, 6. ex fide primum *virtus*, ex virtute *scientia* solida, atque hinc demum *prudentia* continentiae plena derivatur.

Qv. 4. *Docimasia spiritualis quotuplex?*

Triplex potissimum: (1) quâ regenitus suam ipsius fidem, an & quomodo in Christo ipse adhuc sit, explorat. (2) quâ vel *acta*, vel *agenda*, spiritualiter dijudicantur. (3) quâ *spirituum dona* diognoscuntur, 2. Cor. XIII, 5. Phil. I, 10. 1. Joh. IV, 1, 2, 3.

Qv. 5.

Qv. 5. *Irregenitus an nullam instituere potest docimafiam?*

Potest quidem secundum scientiam Verbi *historicam* aliquid discernere, ut hypocrita ille Rom. II, 17. &c. sufficienter autem & *spiritualiter* nihil judicare potest, nisi factus sit *spiritualis*; qualis di-judicat omnia, nec ipse ab ullo, qui non talis sit, dijudicatur. 1. Cor. II, 10. 15. Conf. Lib. II, c. II. Th. Mor. II. & IV. qv. 5.

Qv. 6. *Quomodo instituitur donum pacis statu fidei?*

Ante omnia homo se nōrit verē *conversum*, nec voluntario peccato denuō separatum à Deo intra se vivo. Rom. II X, 10. Hebr. III, 12, 13. deinde exploret vitam fidei, quā Christus, Spiritu suo vivens in ipso, conscientiam dirigat, castiget, tranquillet. Gal. II, 20. Eph. IV, 30. 1. Joh. III, 19, 20, 21, 24. IV, 13. V, 20. pōst specialiū examinet studium observationis mandatorum Dei, ex internā animi habitudine ad Deum, proximum, & semet ipsum in spiritu & corpore; ardoremq̄e precum, meditationis & vigilaniæ, aut neglectum in iis, hujusque causas & occasiones. 1. Joh. II, 5. III, 24. Matth. XXVI, 41. 1. Cor. VI, 20. 2. Cor. VII, 1. Gal. III, 1. Eph. V, 15, 16. tum ad extremum reputet, quam ex iis omnibus vel jacturam, vel accessionem factam sentiat pacis & gaudii in Spiritu Sancto, totiusque operis fidei. 2. Thess. I, 3. II. Apoc. II, 5.

Qv. 7. *Quomodo instituitur actorum vel agendorum docimafia?*

De actorum & agendorum dij adjudicatione vide-

atur suprà Lib. II. c. II. Thes. Moral. II. III. & IV. Quandoquidem verò facilius est renatis, manifesta crimina dignoscere, videndum potius, ne species vel libertatis, vel honorum operum, ipsis imponat. Quocirca solicite adhibenda sunt, quæ de principiis agendi & libertatis abusu traduntur ibid. C.III. *Thesibus Moralibus.*

Species agendorum bonorum operum fallax ut evitetur, actionum bonitas haud censenda modò ex opere in se spectato, sed quoque ex fructibus spiritus internis, penes agentem circa præsens negotium de fide, ex qua proficiisci illas oportet, testantibus,) ipsisque circumstantiis. Cujusmodi fructus sunt benignitas, justitia, veritas, patientia, mansuetudo, mentisque humilitas & tranquillitas: quorum opposita merito suspecta sunt, arrogantia, perturbatio omnis, præcepse cupiditas, inconstantia. Rom. XIV, 23. Eph. V, 9. Jac. III, 14, 15, 16, 17, 18. Conf. L.I. C.III. Th. Doct. I. q. 3. L.II. C.II. Th. Mor. IV. q. 8. & C.III. Th. Mor. I. q. 3, 4.

QV. 8. *Quid de spirituum donis observandum?*

Charismata seu dona spiritualia, ministrantia & que ac sanctificantia, ex edificatione secundum normam Verbi Dei judicanda sunt; quorum optima, quæ intellectum ac voluntatem agnitione & charitate Dei augent: cætera, quæ in sensu vel cadunt, veleos saltem internè aut externè afficiunt, multis periculis obnoxia esse solent. Miraculosa autem non tam propter fideles, quam infideles, dantur:

tur: qualia quæ videntur, *Fidei* non adversantia, vel ex se patent, vel Deo atque *eventui* relinquenda, ne temeritati locus sit ullo modo. 1. Cor. XII, 7. 31. XIII, 1. &c. XIV, 1. &c. 22, 26. 31. 2. Thess. II, 2, 3. Deut. XIII. Jer. XXVIII, 9.

Qv. 9. Quomodo errores doctrinales & morales dignoscendi sunt?

Ex analogiâ fidei, ut descripta est L. I. c. I. Th. Doct. V. qv. 7. 10. Ordo autem ad salutem necessarius est ipsum discrimen *Legis* & *Evangelii*. *Peccati* & *gratiae*; ex quo, quæ discrepant, dijudicari debent. Quod quidem negotium, ipsâ experientiâ spirituali, & Renovationis internæ, omnisque officii Christiani exercitio, quam maximè illustratur atque adjuvatur. 2. Petr. I, 8. 11. Conf. L. III. c. III. Th. Mor. I. q. 2, 3, 4. L. IV. c. II. Th. Doct. I. qv. 4.

AD TOTUM CAPUT

Conf. Joh. Arnd. de Vero Christ. Lib. I. cap. XIV. XIX. XX. XXII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIV. XXXIX. XXXIX. XL. XLII. Lib. II. cap. IV. VI. VII. XI. XIII. XIV. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. usque ad finem libri. Lib. III. cap. IX. X. XI. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. XXIII. Lib. IV. p. t. c. III. p. II. c. XI. XII. XIV. XXII. XXIV. XXVII. XXVIII. XXX. XXXII. XXXIV. XXXV. In primis etiam tres libellos ejusdem, & quatuor libris annexos.

De Fundamentis instaurandæ imaginis divinæ.

CAP. I.

De Mysterio Dei & Christi. THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Fundamentum instaurandæ imaginis divinæ proximum est Christus, Mediator Deum inter & homines; primum verò, ipse Deus.

Qv. 1. *Quodnam est fundamentum salutis & imaginis Dei instaurandæ?*

Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id, quod possum est, quod est Jesus Christus. 1. Cor. III, ii. *Unus est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui sese ipse dedit redemptionis pretium pro omnibus.* 1. Tim. II, 5, 6. *Cujus Domini sui gloriam fideles intuentes, in eandem imaginem transformantur à gloria ad gloriam, sicut à Domini Spiritu.* 2. Cor. III, 18. Conf. Hebr. XI, 6. 26.

Qv. 2. *Annon Deus immediatè imaginem sui instaurat in hominibus?*

Nemo venit ad Patrem, nisi per Christum. Joh. XIV, 6. conf. c. VIII, 24. *Quæ legis erat impotentia, viribus substituæ per carnem, Deus suo ipsius Filio misso in formâ consimili carni peccato obnoxie,*

xiae, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne: ut ita jus illud legis completeretur in nobis, qui non secundum carnem incedimus, sed secundum spiritum. Rom. II, 3, 4.

Ita Deus instaurandæ imaginis fundamentum quidem est primum & *causa principalis*, Christus autem fundamentum proximum & *causa meritoria*. 1. Cor. I, 30. 2. Cor. V, 18, 19, 20, 21.

TH. II.

Deus est spiritus simplicissimus atque infinitus, Pater, Filius & Spiritus S. secundum essentiam ac voluntatem eatenus patefactus hominibus, quatenus ad instaurandam ejus imaginem, & salutem consequendam, ipsis mysterium hoc cognitu est necessarium.

Qv. 1. *Deum esse spiritum, quibus Scripturæ di-*
dis probatur?

Deum esse spiritum, Filius ipse Dei testatur; simulque hinc cultum Dei in spiritu & veritate fieri debere, evincit Joh. IV, 24. Est incorporeus, invisibilis: 1. Tim. VI, 16. immutabilis. Mal. III, 6

Membra, Deo tributa, non accipienda corporaliter, sed eminenter, prout denotant proprietates Dei infinitas. Ps. XCIV, 9.

Qv. 2. *Quæ se suæ simplicitas Deo attribuitur?*

Non eo sensu, quo de rebus corporeis dici solet, sed prorsus spirituali, ita ut compositio realis

nulla in Deo detur nec dari possit, omniaque Dei attributa ipsa ejus sint essentia. Est enim ipsa charitas, lux, veritas, vita. 1. Joh. IV, 16. I, 5. Joh. XIV, 6.

Qv. 3. Quenam attributa simplicitas comprehendit?

Ex simplicissimâ Dei essentiâ proximè cognoscitur, quod unus sit. Deut. IV, 35. 39. VI, 4. Esa. XLIV, 6, 7, 8, 9. ipse vita & lux. Jer. X, 10. Joh. I, 4. 1. Joh. I, 5. idêo quae causa virtutis & lucis hominum, in regno naturæ, & gratiæ, & gloriæ. Joh. I, 4. IV, 14. VIII, 12. Ut sanctificatio, & imago Dei, nihil aliud sit, quam simplicitatis affectus, in solum Deum tendens. απλοτης εις τὸν χριστόν. 2. Cor. XI, 3.

Ex parte intellectus Deo, ut luci, propria est omniscientia & sapientia. Psal. CXXXIX. Rom. XVI, 27. fons divinæ œconomiae circa hominum salutem universæ, nostræque fiduciae, & timoris erga Deum.

Ex parte voluntatis; bonitas & misericordia. Matth. xix, 17. Tit. III, 4. sanctitas & justitia. Esa. VI, 3. Psal. VII, 10. 12. veritas. Jer. X, 10. unde veracitas in dictis, & constantia in promissis, & sinceritas in operibus. Hebr. VI, 18. Num. XXIII, 19. Ps. XXXIII, 4. CXLV, 17. Gratia & veritas hinc conjunguntur in V. & N. Testamento.

Qv. 4. Misericordia & justitia punitiva suntne in Deo opposita attributa?

In Deo non sunt opposita, sed una eademque simplicitas; hanc autem non minus verè iram esse, quam gratiam, pro diversâ hominum conditio-
ne, constantissimè urget Scriptura Sacra. Ps. V, 5, 6,
7, 8. XLV, 8. XC, 7, 8, 9. XI, 12, 14, 15. Joh. III, 36. Rom.
1, 18.

DE INFINITE. [L.IV.C.I.] 199

I, 18. II, 4. 5. &c. III, 3. 4. 9. 19. Hebr. XII, 29. Unde
timor & servilis & filialis.

Qv. 5. *Gloria Dei pertinetne ad simplicitatem, an
ad infinitatem?*

Quemadmodum ipsa simplicitas Dei est ipsa
infinitas, ita gloria ejusdem ad utramque spectat.
Simplicitatem si respicias, gloria Dei est divina
beatitas; I. Tim. I, 14. VI, 15, 16, si infinitatem, est
majestas. Ps. CXLV, 3.

Qv. 6. *Infinitas, seu infinita Dei perfectio, quænam
attributa complectitur?*

Immenstatem, quâ Deus major hâc universo
est; I. Reg. VIII, 27. Job. XI, 8. & *Omnipræsentiam*,
quam ex Jer. XXIII, 24. dicunt *ubietatem repleti-
vam*; cujus meditatio & conversioni, & renova-
tioni, inservit in utramque partem, contritionis
nempe & fidei. Act. XVII, 27, 28. Psal. CXXXIX.
XXIII, 4. Matth. XXVIII, 20.

Omnipotentiam, ex operibus Dei conspicuam:
Rom. I, 20. Joh. V, 36. quæ & *Legi & Evangelio o-
mne pondus affert*; non modò legis, sed & fidei
præcipuum fundamentum. Matth. X, 28. Rom.
IV, 20, 21. Eph. I, 19. Quòd verò non semper *ab-
soluta*, sed *ordinata plerumque intelligenda sit*, pa-
cti Evangelici *analogie*, seu ordini, tribuendum
est.

Æternitatem, durationem illam initii & finis
expertem. Ps. XC, 3 *immortalitatem*. I. Tim. vi, 16.
incorruptibilitatem. ib. c. I, 17. Ps. CII, 26, 27. Quæ
quidem ex superioribus simul cognoscitur, eun-
demque cum iis usum præstat.

N 4

Qv. 7.

Qv. 7. Quomodo autem de simplicissimo atque infinito spiritu dicuntur affectus seu commotiones v. c. irae, amoris, &c.?

Quemadmodum membra Deo tribuuntur *ανθρωποναρθως*, intelligenda vero *Θεοπρεπως*, sic affectus etiam argumentationem a minori ad majus suppeditant, ut recte inferam: si homo videt, audit, multò magis Deus omniscius; si homo iram erga malos exercet, multò magis Deus. Psal. XCIV, 9, 10. Cæterum quæ in hominibus accidunt, mutationem inferentia, sine hujusmodi imperfectione in Deo immutabili existunt. Mal. III, 6. Jac. I, 17.

Qv. 8. Unitas Dei an nullam admittit pluralitatem?

Unus est Deus in essentiâ, quæ nec dividi nec multiplicari potest; neque eatenus pluralitatem ipsius simplicitas admittit. *Pluralitas* vero & *Trinitas*, secundum quam unus ille Deus numero plurali designatur in Scripturis, Gen. I, 26. III, 22. &c., & est Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Matth. XXVIII, 19. in una eademque & singulis communis essentiâ, nihil compositionis infert, sed perfectionem eminentissimam. *Tres sunt, qui testificantur in caelo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* I. Joh. V, 7. Joh. X, 30. conf. Ps. XXXIII, 6. Esa. VI, 3.

Qv. 9. Differuntne autem in una essentiâ hi tres verè?

Etsi non differunt *essentialiter*, inter se tamen distincti sunt verè ex rationibus subsistendi relativis; ita ut unicuique suus sit modus subsistendi pro-

proprius, cum oppositione relativâ, id est incommunicabilis. Pater est dignens; Filius, unigenitus, qui in Patris sinu est: Psal. II, 7. Joh. I, 2, 18. Spiritus S. procedit, spiratur, mittitur ab utroque. Joh. XIV, 26, XV, 26. XVI, 13, 14, 15. XX, 22.

Relatives hæ dicuntur *characteres hypostatici*, *proprietates personales*, *opera ad intra*: *Generatio activa*, & *passiva*, seu *Paternitas*, & *Filiatio*; *Spiratio activa*, & *passiva* seu *Processio*.

Q. 10. *Tres personæ cur & quo sensu appellantur?*

Non, ut significetur *pers* aut *qualitas in alio*, sicut apud *auctores classicos* personæ vocabulum accipis soleret; verum ut eo utuntur in hac causâ Scriptores Ecclesiastici, quando significantur *propriae subsistentes*. Conf. Aug. Conf. A. I. Hoc sensu tres personas in una Deitate esse, docet ipsa *Creatio*: Gen. I, 1, 2, 3. conf. Ps. XXXIII, 6. Joh. I, 1. Idem mysterium adumbratum est in Vet. Test. Genes. XVIII, 1, 2, 3. apparitione trium virorum Abrahamo factâ, quos hic tanquam unum alloquitur; & in N. Testam. patefactum Matth. III, 16, 17. quando Johannes, Christum baptizans, videt *Spiritum S.* ut columbam, venientem super ipsum, & à Patre loquente è cœlis declaratur hic *Filius*. Ita & Christus baptizare jubet *in nomine Patris*, *Filiī & Spiritū Sancti*, Matth. XXVIII, 19. & distinguit ipse Joh. VIII, 16, 17, 18. inter se & Patrem: XIV, 16, 17. inter se, rogantem, & Patrem, qui det, & Spiritum veritatis, qui detur. conf. XVI, 13.

Qv. II. Christum Jesum esse aeternum Dei Filium,
una cum Patre verum & summum natura De-
um, quomodo ex Scripturis probatur?

I. Ex *diserta appellatione*: dicitur Deus Joh. xx,
28. in *redemptionis opere*, Act. xx, 28. isque verus
Deus; i. Joh. v, 20. quod de Christo intelligen-
dum, ex *relativo & apposito evincitur*; *magnus*
Deus; qui ipse *Servator*, sine peculiari *articulo*,
Tit. ii, 15. Deus super omnia benedictus in secula,
in *oppositione ad Iō καὶ τάγη*. Rom. ix, 5. Deus,
& quidem *Omnipotens*. Joh. i, 1, 2, 3, 4. x, 32. 33. 36.
39. Hebr. i, 7, 8, 9. &c.

II. Ex *analogia Vet. & Novi Test. dictorum*,
quibus Christo nomen Dei *essentiale* tribuitur;
vel ipsa Messiae mentione, ut Jerem. xxiii, 5, 6.
xxxiii, 15, 16. conf. i. Cor. i, 30. 2. Cor. v, 21. vel
N. Testamenti interpretatione, ut Ef. vi i. 3.
conf. cum Joh. xii, 41. Num. xxi, 6. cum i. Cor. x,
9. Ps. cii, 26. cum Hebr. i, 10. &c.

III. Ex *rei ipsius descriptione*, quod Filius Dei
aeternus sit, unius cum Patre essentia; ante Jo-
hannem Baptistam, quo posterior nativitate: Joh.
i, 15. 27. ante Abrahamum: Joh. viii, 58. ante mun-
dum: Joh. i, 3. 10. 14. conf. c. xvii, 5. Col. i, 15. Prov.
viii, 22. & quidem aeterna generatione. Ps. ii, 7.
Mich. V, 2. Joh. viii, 58. Hebr. i, 3. per resurrec-
tionem potenter declaratus. Rom. i, 4. Act. xiii, 35.
Filius Dei unigenitus, Joh. iii, 16. proprius, Rom.
viii, 32. aequalis, Joh. V, 18. cui & cultus fidei & ado-
rationis debetur. ib. v, 23. Matth. xxviii, 19. i. Joh.
v, 13. Ef. xlvi, 23. Rom. xiv, 11. Hebr. i, 6. Phil. ii,
10. Apoc. vii, 10.

IV. Ex

DE DEITATE SPIRITUS S. [L.IV.C.I.] 203

IV. Ex attributis, æternitate, omnipotentia,
de quibus suprà; omniscientia. Joh. I, 1. XXI, 17.
Col. I, II, 3. 9. Apoc. II, 23. & operationibus, Joh V,
17. 19. quæ ex unitate essentiæ divinæ derivantur;
c. XIV, 9, 10, 11. 13. X, 30. qualis est potestas patrandi
miracula, ibid. v, 25. Act. III, 6. resuscitandi mortuos,
Joh. V, 21. judicandi, v. 22. salvandi, Matth. I, 21.
Heb. vii, 25. remissionē peccatorum, gratiam & pa-
cem efficiendi & conferendi. c. IX. 6. Rom. I, &c.
Qv. 12. Spiritum S. eodem sensu Deum esse, quomodo
probamus?

I. Ex diserta appellatione: Act. V, 3, 4. 9. Deus
demonstratur: verus Deus. 2. Cor. VI, 16. 1. Cor.
VI, 19. III, 16, 17.

II. Ex analogia Vet. & Nov. Test. dictorum,
quibus Spiritui S. nomen Dei essentiale tribuitur.
Esa. LXIIII, 10. 14. conf. cum Deut. XXXII, 12. & cum
Act. VII, 51. Es. VI, 3. 5. 9. cum Act. XXVII, 25. Ps.
xcv. 8. cum ad Hebr. III, 7. &c.

III. Ex rei ipsius descriptione, quod Patri & Filio
adjungitur in unâ essentiâ; 2. Cor. XI, 13. I. Joh.
v, 6. 9. ita ut in ejusdem quoque nomen baptiza-
re jubeantur Apostoli. Matth. XXVII, 19. Quem-
admodum Christus fuit dux populi in deserto, sic
etiam Spiritus S. I. Cor. X, 4. Es. LXIIII, 14. ad iram
provocatur. ib. c. LXIIII, 10. Eph. IV, 30. blasphem-
ia in ipsum non remittitur. Matth. XI, 31. Marc.
III, 29. Luc. XI, 10.

IV. Ex attributis, æternitate, omnipotentia, o-
mniscientia, omnipræsentia: Hebr. IX, 14. 1. Cor.
XII, 4. 6. 11. II, 10, 11. Ps. CXXXIX, 7. & operatio-
nibus: ut est creatio naturæ, ac gratiæ. Ps. XXXIIII,
6. Joh.

204 DE COGNITIONE DEI. [L. IV. C. I.]

6. Joh. III, 5. 8. Tit. III, 5. sanctificatio, & resuscitatio
a mortuis; Rom. VIII, 9. 11. 14. 16. 26. prædictio fu-
turonum; Act. I, 16 Ecclesiæ & charismatum dis-
pensatio. Act. Xlll, 2. XVI, 7. XX, 28. 1. Cor. XII,
4. 11.

Qv. 13. *Daturne cognitio mysterii de essentiâ Dei
perfecta in hac vita?*

Non datur: nam cernimus nunc per speculum
in ænigmate, tunc verò à facie ad faciem; nunc
cognosco ex parte, tunc verò cognoscam, prout
cognitus fuero. 1. Cor. Xlll, 12. Patefactum enim
est in mysterium Dei & Patris, & ipsius Christi, quem
misit, non tam ad sciendum, aut speculandum,
quàm eò, ut, quæ de essentiâ Dei cognoverimus,
voluntatem divinam nos doceant, ad amorem Dei
paternum agnoscendum, & imaginem Dei ex
Christo in nobis instaurandam, salutemque ita
recuperandam per fidem in Christum. Col. II, 2, 3.
Joh. XX, 31. 2. Cor. III, 18.

Qv. 14. *Daturne experimentalis cognitio hujus
mysterii?*

Omnino; secundum agnitionem gratiosæ effica-
ciæ: quæ singulis, Patri, Filio & Spiritui Sancto com-
munis quidem & indivisa est, tanquam opus ad extra,
sed diverso tamen operationis ordine attri-
buitur seu appropriatur: ut 1 Cor. XII, 4, 5, 6, 2. Cor.
Xlll, 13. *Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei,*
& communio Sancti Spiritus.

Qv. 15. *Opera ad extra quænam, & cur indivi-
sa dicuntur?*

Opera ad extra dicuntur, quæ non spectantur
intra Deitatem subsistentiæ, sed à Deo extra essen-
tiæ

DE OPERIBUS AD EXTRA. [L. IV. I.] 205
tiam suam producuntur, tanquam attributorum
invisibilium documenta visibilia. Rom. I, 20.

Dicuntur *indivisa*, quoniam ex se non sunt in-
communicabilia, sed Patri, Filio & Spiritui Sancto
sic communia, ut tantum certo modo & ordine
huic vel illi sint propria. 2. Cor. V, 18, 19.

Qv. 16. *Quomodo voluntatem mysterii sui & Chri-
sti per opera ad extra Deus patefecit?*

Opera ad extra potiora sunt tria: *Creatio*, *Re-
demptio* & *Sanctificatio*; quibus testatur Deus, re-
deundum esse ad imaginem Dei, ad quam creati
fuimus; ideoque ipsum proprio Filio, per quem
condita sunt omnia, non pepercisse, ut pereun-
dem homines reconciliari, benedictionem Spir-
itus S. recipere & sanctificari possint. Rom. XI, 36.
2. Cor. V, 18. III, 16, 17, 18. Act. III, 26. Gal. III, 14.
Col. I, 16. 20.

De iis, quae ad *Sanctificationem* pertinent, actum
suprà Lib. III. nunc de *Creatione* & *Redemptione*, tan-
quam illius fundamentis.

TH. III.

Deus per Filium, tanquam imaginem sui, & pri-
mogenitum omnis creaturæ, creavit con-
servatque omnia, & invisibilia & visibilia:
substantias verò intelligentes præposuit re-
liquis; illis quidem angelos, his autem
homines; quorum ex lapsu visibilia hæc
depravata sunt, redintegranda per eundem
Filium.

Qv. 1.

Qv. 1. *Opus creationis quomodo Patri est proprium, & Trinitati commune?*

Proprium est Patri, ut fonti & principio SS. Trinitatis, cui & origo rerum omnium tribuitur. Rom. XI, 36. 1. Cor. lIX, 6. Commune est Verbo seu Filio, per & ad quem omnia facta sunt: Joh. I, 3. 10. Hebr. I, 2. Col. I, 16. 2. Petr. III, 5. & Spiritu S. Ps. XXXIII, 6. Job. XXXIII, 4. qui sanctificavit omnia, ut in auctorem Deum tenderent. Gen. II, 7. Actor. XVII, 27, 28, 29. Rom. XI, 36. 1. Cor. lIX, 6. quo sensu & Deus dixit initio, faciamus hominem. Gen. I, 26. conf. Eccl. XII, 1.

Qv. 2. *Cur Filius dicitur primogenitus omnis creaturæ?*

Ut æternus Dei Filius à rebus factis distinguitur; utpote qui non est conditus, sed genitus, & per quem factum est, quicquid factum est. Col. I, 15, 16. Joh. I, 3. Ante omnem ergo creationem fuit primogenitus, hoc est, ab æterno non modo extitit, sed etiam genitus est; constitutus quoque hæres omnium, & ab omnibus, etiam Angelis, adorandus. Hebr. I, 2. 5, 6. Ps. XCVII, 7. Esa. XLV, 23. Conf. qv. 4.

Qv. 3. *Quid est creatio?*

Est actus omnipotentiae, quo Deus vocat seu producit ea, quæ non sunt, ut sint. Rom. IV, 17. Hebr. XI, 3. Ps. CXLVIII, 5.

Creatio spiritualis est regeneratio. Psal. LI, 12. Eph. II, 10. Hujus illa est typus. 2. Cor. IV, 6.

Qv. 4. *Quid tradit Scriptura de creatis illis invisibilibus?*

De iis, quæ *invisibilia* dicuntur, Paulus monet,

ne in ipsa invadamus, quæ non vidimus. Col. II, 18. An-
gelos autem esse, Scriptura docet ibid, dictos ab iuf-
ficio ministrandi: Dan. VII, 9, 10. Luc. I, 26. 29. 30. 38.
Act. VII, 53. Gal. III, 19. Hebr. I, 7. spiritus creatos,
(Gen. II, 1. conf. Luc. II, 13, 15.) in sapientia, sancti-
tate & potentia; ibid. v. 14. Eph. III, 10. 1. Petr. I, 12.
Matth. XXV, 31. 2. Thesl. I, 7. Ps. CIII, 20. ipsosque
spiritus simplices, incorporeos. Ps. CIV, 4. Luc. xxiv,
39. inter quos sunt throni, dominationes, princi-
patus, potestates, potentiae, Col. I, 16. Eph. III, 10.
VI, 12. Rom. II, 9, 38.

Quibus omnibus infinitè præstantior *Angelus*
Testamenti increatus, veniens tanquam Dominus
ad templum suum, verus Deus. Mal. III, 1. Hebr. I,
4, 5, 6, 7, 8. Exod. XXIII, 20, 21. Jud. II, 1, VI, 11, 12.
Paulisper inferior angelis factus mortis perpecc-
ione pro nobis, per & propter quem hæc omnia, prin-
ceps salutis nostræ & finalificationis, Jesus. Hebr.
I, 2. II, 9, 10, 11. Matth. I, 21.

Qv. 5. *Quid tradit Scriptura de lapsu & operatio-
nibus malorum spirituum?*

Mali spiritus, non tales creati sunt, sed boni
quum essent, in veritate non persistunt, utpote
qui peccarunt operando cupiditates adversus De-
um. Joh. II, 9, 44. 45. 2. Pet. II, 4. Propterea tartaro
& catenis caliginis traditi, damnationi servantur.
ibid. & Judæ v. 6.

Interim potestas versandi & operandi ipsis reli-
qua est, in terris & aëre: Job, I, 7, 8. Apoc. XII, 9. 12.
Act. XXVI, 18. Eph. II, 2. VI, 11, 12. ut dicantur mun-
di principes, multis insidiis potentes, ibidem & 1.
Petr. V, 8, 9. Michaël Archangelus pugnavit cum
Diabolo. Jud. v. 9. Protoplastos hic corrupti: unde
mili-

militia est posita contra ipsum, quippe qui fideles
hodienum persequitur eodem modo, mentiens &
Angelum lucis; Gen. III, 15. 2. Cor. XI, 3. 14. tan-
quam Deus mundi hujus excoecat mentes homi-
num; c. IV, 4. pater mendacii & homicidia, Joh. II X,
44. eripit verbum ex cordibus, Matth. XLI, 19. quæ
implet malo; Act. V, 3. multisque machinationi-
bus contendit fideles circumvenire, & *lædere* ipsis
calcaneum, conterendus sub pedes ipsorum. 2. Cor. II,
11. Gen. III, 15. Rom. XVI, 20. Conf. Lib. I, c. III.
Thef. Doct. V. & Moral. II. III. ubi & docetur, po-
testatem istam non esse liberam, sed pendere ex
permissione divina. it. lib. III, cap. III. Th. Doct. I,
qv. 5. de libertate à Diabolo, fundatâ in redemptio-
ne Christi, qui patefactus est, ut tollat peccata, &
dissolvat opera Diaboli. 1. Joh. III, 5. 8.

Qv. 6. De visibilibus creatis quid tradit Scriptura?

Quòd facta sint partim non ex apparente materia,
Hebr. XI, 3. partim ex *creata* visibili materia; ut
terra ex aqua & per aquam consistat Dei verbo,
2. Pet. III, 5. homo ex limo terræ, Gen. I, 7. vege-
tabilia & animalia ex terrâ, v. 9. c. II, 11. 24. pisces
& aves ex aquâ productæ sint, v. 20. Et omnia qui-
dem sex dierum intervallo creata valde bona, in qui-
bus nulla erat vanitas: sed huic creatura subjecta
est, non suâ sponte, at propter Deum subjicientem;
hœc ipso testantem, quantopere homo, cuius caus-
sâ mundum longè præstantiore conditione con-
diderat, lapsus sit; relicta spe tamen, & ipsam crea-
turam liberatum iri ex servitute corruptionis in
libertatem gloriæ filiorum Dei. Gen. I, 26. 31.
Rom. II X, 19, 20, 21, conf. p. 66.

Qv. 7.

Qv. 7. *Quomodo conservat Deus hoc universum?*

Eadem virtute, quā Triunus Deus mundum condidit, ipsum conservat, portans omnia verbo virtutis suae: id quod de ipso Filio affirmatur Hebr. I, 3. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* Act. XVII, 28. *Non è solo pane vivit homo, sed ex omni verbo prodeunte per os Dei.* Deut. lIX, 3. Matth. IV, 4. Est igitur conservatio, continuus verbi creatorii in res omnes influxus, quo vel ad momentum substracto, nec agere nec esse possent. Psal. CIV, 2. 9. 29, 35. Dan. V, 23. Joh. V, 17. Col. I, 17.

Conservationis actus pro diversis respectibus varii constituuntur, sunt autem potissimum duo: *Providentia*, & *Concursus* seu *cooperatio*. *Providentia* supponit præscientiam futurorum, & significat eorundem *gubernationem*; hujus vero actus observantur, *directio*, *determinatio*, *permisso*, *impeditio*. Act. XVII, 6, 7. 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30. c. XIV, 15, 16, 17.

Omnia & singula Deus respicit, ut ne unus quidem passer in terram cadat sine voluntate Patris, Matth. X, 29. & ipsi capilli capitis numerati sint: v. 30. ubi & *gradus* ostenduntur, quod homines, & præsertim *fideles*, reliquis animantibus præstant. v. 31, 32. 1. Tim. IV, 10. Ipsos vero sanctos sanctiore etiam cura dignatur Sanctus. Ps. XIIIX, 26, 27. Es. XLV, 15. Mal. III, 16.

Deus naturæ ordinem certum viresque condidit, quas *causas secundas* appellamus. Gen. I. Adebet tamen creaturarum operationibus *concursum* & *cooperationem*, sine quā nihil valerent; agitque secundum providentiae suæ rationes. Unde

O & ex

210 DE MYSTER. DEI ET CHRISTI. [L.IV.C.I.]
& ex propagatione orti sunt creati. Malach. II, 10.
Ipse exoriri facit solem suum super malos & bonos,
& pluit super justos & injustos. Matth. V, 45. Conf.
Pf. CXLVII, 13, 14, 15, 16, 17, 18. Ita & Deum dilig-
entibus omnia adjumento sunt ad bonum. Rom. VIII,
28. Nec verò cauissis secundis alligatus est Deus:
Num. XVI, 30. sed potest & sine iis aliquid produ-
cere, ipsisque alium effectum assignare, vel hunc
impedire & mutare. Act. XVII, 25. Rom. IV, 19. Pf.
CXXVII, 1. Am. IV, 7. Concursum hinc generalis dicitur,
quando agitur secundum cursum naturæ or-
dinariū: Act. XVII, 27, 28. specialis, de miraculis,
& operationibus regni gratiæ, & gloriæ. Rom. VIII,
14. Phil. III, 21.

Qv. 8. Circa antecedentia quomodo mysterium Dei
& Christi cohæret?

Ad hoc denotandum, vocatur *mysterium ipsius*
Dei etiam mysterium Patris, & ipsius Christi, in
quo sint omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis
reconditi. Col. II, 2, 3. Deus Triunus dicitur *Pater*,
ut in Oratione Dominicâ; & *Pater lumen*, qui ex
gratiosa voluntate progenuit fideles sermone veritatis,
ut essent primitiæ quadam suarum *creatuarum*: Jac.
I, 18. h.e. spirituale Dei opus, conditi in Christo Je-
su, Eph. II, 10. & regeniti ex Spiritu. Joh. III, 5.

Quum igitur Pater, dictus personaliter, Spiritu
Suo nos creārit per Suum Verbum (Pf. XXXIII, 6)
h.e. *Filiū*, atque hunc eundem nobis dederit un-
ctum & *Redemptorem & Sanctificatorem*; omnis ve-
rò sapientia & cognitio circa naturam, vel *gratiā*
versetur: certum exinde est, in mysterio Dei tan-
quam Patris, & Christi, thesauros veritatis omnes
quærendos esse.

Th. IV.

Filius Dei, homo factus, assumitam humanam naturam non transmutavit in divinam, sed utriusque naturae attributorum communicationem in personali unione dispensavit ita, ut justitiae Dei pro peccatis hominum satisficeret obedientiam activam & passivam, gratiamque & dona mereretur nobis, tanquam sacerdos, propheta, & rex noster: quo officio per resurrectionem completo, evestitus ad dextram Patris, promissionem Spiritus effundit, omnia in celo & terrâ consummaturus.

Qv. 1. Doctrinae de Christo quænam partes constitui solent?

Duæ: de incarnationis mysterio seu personâ Christi, & dupli hujs statu; tum de officio mediatorio.

Qv. 2. Filius Dei an verus homo factus est?

Verbum, (λόγος ὁνομάτως, Gen. 1, 3. Psalm. XXXIII, 6.) quod ipse Deus, caro factum est. Joh. I, 1. 14. natus, quum temporis plenitudo venisset, ex muliere, Gal. IV, 4. virgine, Esa. VII, 14. Luc. I, 27. 34. 35. ex patribus, & semine Davidis, καὶ σῶμα, Rom. I, 3. IX, 5. assumens verum corpus, Hebr. II, 14. animam, Luc. XXIII, 46. & voluntatem humanam. c. XXII, 42.

Jesus autem natus est Christus, ita unctus, Act. X, 38. plenus gratiæ & veritatis, Joh. I, 14. ut dicetur

O 2.

retur

retur ὁ γενος, sanctum; Luc. I, 35. tentatus etiam sine peccato: Hebr. IV, 15. 1. Pet. II, 22. tametsi est missus in forma, quæ consimilis carni peccato obnoxiae, propter peccatum, ut condemnaret peccatum in carne; Rom. VIII, 3. & apparuit prima hæc vice cum peccato (non suo, sed nostro.) Hebr. IX, 28.

Qv. 3. Personalis unio, quæ dicitur, duarum naturarum in Christo, quid est, quidque fundamenti in Scripturis habet?

Est naturæ humanae cum divinâ intra hypostasin Filii Dei arctissima & indissolubilis conjunctio. Dicitur personalis seu hypostatica, quod humana Christi natura non propriâ subsistentiâ terminetur ac compleatur, sed τε λόγος subsistentiâ, quæ ab æterno est.

Fundatur in eo, quod θεόνθεωπός expressè unus, Rom. V, 15. 17, 18, 19. 1. Tim. II, 5. 1. Cor. II X, 6. atque idem nunc Filius Dei, nunc Filius hominis, sive, nunc Deus, nunc homo appellatur: Rom. I, 3, 4. Joh. XX, 31. Gal. IV, 4, 5. 1. Tim. III, 16. cuius generatio duplex, æterna, Mich. V, 2. & temporalis, ut qv. 2.

Error Nestorianus, Mariam esse Θεοτόνον negans, unionem disolvit, & duas personas facit: Eutychianus, statuens, humanam naturam conversam esse in divinam, confusione peccat. 1. Tim. II, 5.

Qv. 4. Ex unione personali in Christo quænam communicatio existit?

Ex unione personali, quæ est unius hypostasios communio, fluit tum naturarum, tum utriusque

que naturæ *idiomatum*, sive attributorum, *communicatio*. *Communicatio* naturarum est, quod inde humana Dei quoque, & divina etiam hominis natura esse cœperit; *sanguis Christi*, *sanguis Dei*: Act. XX, 28. *omnis plenitudo Deitatis in Christo corporaliter inhabitans*. Col. II, 9. Unde & *prædicationes* fluunt, quæ dicuntur *personales*; Deus est homo, homo est Deus, seu, quod idem, Filius hominis est filius Dei vivi. Matth. XVI, 13. 16. Filius ex Maria natus est filius Altissimi. Luc. I, 31, 32. Dominus Davidis est Filius Davidis. Matth. XXII, 42, 43, 44, 45. Filius Dei, natus ex semine Davidis secundum carnem. Rom. I, 3. Secundus homo est Dominus de cœlo.

I. Cor. XV, 47.

Qv. 5. *Communicatio idiomatum quotuplex?*

Quemadmodum una est *naturorum* in Christo *communicatio*, ita inde & *idiomatum* est una, ex *communione hypostaseos*, seu *personalis unione*, simul oriunda. Hæc autem, utriusque naturæ proprietatum *communicatio*, in Scriptura S. sub *tribus* potissimum *respectibus & modis* proponitur; atque hinc tria genera communicationis *idiomatum* statuantur in Theologorum scriptis.

I. *Prædicatur de Christo Deo*, quicquid humanae, & contrà de Christo homine, quicquid divinæ naturæ proprium est: ut, *Dominus glorie crucifixus*. I. Cor. II, 8, conf. cap. XV, 4, & Act. III, 15. *Filius hominis ascendet, ubi erat prius*: Joh. VI, 62, nam erat in cœlo prius secundum naturam divinam. *Fundamentum* est *unio personalis & naturarum communicatio*, quæ fit, ut mutua etiam proprietatum omnium sit *communio* in personâ, utpote quæ duabus naturis gaudet.

O 3

Præ-

Prædicatum subiecto verè competit; non tam secundum eam naturam, à quâ denominatur, sed secundum alteram: quapropter & hæ prædicationes aliquando particulis *diacriticis* explicantur, ubi in eodem contextu de Christo enuntiantur, vel intelliguntur, contraria, Röm. I, 3, 4. IX, 5. 2. Cor. XIII, 4. 1. Pet. III, 18. Joh. V, 27.

II. Divina idiomata, seu *perfectiones*, non modo personæ, ut in primo genere, sed & humanæ Christi naturæ tribuuntur. Quocirca *prædicatio* observatur vel *immediata* & in *casu recto* (v. c. caro Christi vivifica, Joh. VI, 51. & per consequentiam pariter omniscia, Col. II, 3. 9. majestate divinâ pollens ad judicium exercendum, Joh. V, 22, 23. additâ particulâ *diacriticâ*, quod data ei, quia Filius hominis est, v. 27. similiter omnipotens, omnipræfens. Matth. XXVIII, 18. 20.) vel *mediata* & in *casu obliquo*, ut sanguis Christi æterno spiritu oblatus. Hebr. IX, 14. *Fundamentum communicationis* & *prædicationis*, *unio personalis*, & *περιχώρησis* naturarum in Christo, quâ ita divina humanam permeat, ut nullam hujus particulam hypostaseos suæ & Deitatis expertem esse finat. Col. II, 9.

Non autem quæ divinitati *per essentiam* propria sunt, eodem modo communicata humanitati competunt, sed mediante illâ unionis & communionis *œconomia*. Dicitur *communicatio maiestatis*, quæ incepit unâ cum personali unione. *Cultus adorationis* ad eam pertinet, tanquam *consequens*. Phil. II, 9, 10. Nec illa *reciprocandi ratio* (artibodus) quæ primi est generis, hîc etiam per naturæ humanæ idiomata locum habet;

pro-

DE TERT. GEN. COMM. IDIOM. [L.IV.C.1] 215
propterea quod natura divina est infinita, immu-
tabilis, humana vero tantum unione isthac perfici-
tur, estque unionis subjectum.

III. Prædicantur opera officii mediatorii, intel-
ligenda secundum utramque naturam operan-
tem: dicta hinc *apotelesmata officialia*. Semen
mulieris conteret caput serpentis, Gen. III, 15. Fi-
lius hominis venit, ut animas hominum salvaret.
Luc. IX, 56. Filius Dei, missus in similitudine car-
nis peccati, damnavit peccatum in carne. Rom.
IX, 3. Christus mortuus pro peccatis nostris.
I. Cor. XV, 3. Deus proprio sanguine acquisivit
Ecclesiam. Act. XX, 28. sanguis Filii Dei mundat
nos a peccato. I. Joh. I, 7.

Fundamentum est ipsa operationum utriusque
in Christo naturæ communicatio, ex primo &
secundo genere fluens: utraque enim natura
Christi agit, quod sibi proprium est, non sine com-
munione alterius in unione personali.

Notanda est *differentia* hujus, & primi generis
in *prædicando*: ibi prædicantur effectus unius
naturæ, hic vero effectus utriusque naturæ: v. c.
quando Deus est passus & mortuus, secundum
humanam naturam, id quod *primi generis*; divi-
nitas passioni & morti infinitum valorem imper-
tivit, ut moreretur pro peccatis mundi; id quod
secundi & tertii generis. *Apotelesma* est unum o-
pus ex diversis operationibus, ad eundem finem
coordinatis. Gal. I, 4. IV, 4, 5.

Qv. 6. *Dissinctio inter concretum & abstractum estne
ad hanc doctrinam necessaria?*

Est necessaria omnino. Si enim, quæ dicuntur

de concreto naturæ, Deo, homine, vel de concreto personæ, Christo, Mediatore, ista de abstracto etiam, naturâ divinâ vel humanâ, promiscue intelligam, gravissimi errores evitari nequeunt.

Qv. 7. *Doctrina de statu exinanitionis & exaltationis ex quoniam genere communicationis idiomatum derivanda, & quomodo?*

Ex secundo, seu majestatico: nam Majestatis communicatae, quam retinuit quidem indesinenter, usu plenario & exercitio perpetuo Christus in diebus carnis, seu vitæ mortalis, sponte sua se abdicavit, forma servili assumta. Phil. II, 6, 7, 8. ut obediendo usque ad mortem crucis, hanc gustans pro omnibus, auctor salutis fieret omnibus ipsi subsequentibus. Hebr. II, 9, 14, 15. V, 8, 9. Hinc Theologî totum illud tempus, ab incarnatione Christi usque ad resurrectionem, quò pertinent nativitas, passiones, derelictio, mors, sepultura; appellant statum exinanitionis; licet enim Dominus miraculis patrandis Deitatis radios exsereret, permanxit tamen ipse in exinanitione, ut nec transformationem coram discipulis diu retineret. Matth. XVII.

Status exaltationis consistit in eo, quòd Christus vivificatus omnem humanæ carnis infirmitatem exuit, plenariumque majestatis divinæ usum ingressus est. Phil. II, 9, 10. Luc. xxiv, 26. Quò pertinet de censu Christi ad inferos, resurrectio à mortuis, ascensio in coelos, sessio ad dexteram Dei Patris. Os. XIII, 14. I. Cor. XV, 55. I. Pet. III, 18, 19, 20. I, 11. Col. II, 15. Eph. I, 20, 21. IV, 10. Psal. CX, 1. Marc. XVI, 19. Rom. VIII, 34.

Qv. 8.

Qv. 8. *Quem finem intendit mysterium incarnationis, personalis unionis, & communicationis naturarum atque idiomatum, exinanitionis & exaltationis?*

Ut Christus pro nobis officium exequatur mediatorum: hujus enim fundamentum est unio illa personalis, quod Christus simul Deus & homo, ipsa que communio naturarum atque idiomatum. Sine hoc autem mysterio nec redemptio per Christum, nec qui ejus sunt fructus, justificatio & sanctificatio dari possent. Non redemptio: nam, et si homo passus, & sanguis effusus esset, non potuisset tamen $\lambda\acute{u}\tau\acute{\epsilon}\sigma$ pro mundo persolvi, nisi ipse ille hostia pro peccato, & maledictio fieret, Rom. II X, 3. 2. Cor. V, 22. Gal. III, 13. ac moreretur, per quem mundus conditus; valoremque ita afferret infinitum, ex communicacione naturarum atque idiomatum, Levit. XXV, 25. 26. Ps. XLIX, 8. 9. Hebr. I, 2. 3. Unde sanguis, quo redempti sumus, laudatur *preciosus sanguis, proprius Dei sanguis*, per aeternum spiritum oblatus, & nobis exinde pars *abundantia gratiae* ac donationis. I. Pet. I, 18. 19. Acto. XX, 28. Col. I, 16-20. Hebr. IX, 14. Rom. V, 17. Neque alia est *justificationis* ratio, seu remissionis peccatorum; quae cum redemptione uno jure gaudet. Eph. I, 7. Nec *sanctificationi* aliter locus, nisi per humanam Christi naturam, superato & condemnato, ex inhabitante divinitatis plenitudine spiritus vivificans nobis impertiatur; ibid. v. 8. Rom. II X, 2, 3. 4. 11, ut ipse Christi sanguis in luce ambulantes purget ab omni peccato & injustitia. I. Joh. I, 7. 9. Hebr. IX, 12. 14. XII, 24. 28. Conf. porrò de usu qv. 14. & Th. Mor. II, qv. 1.

O 5

Qv. 9.

Qv. 9. *Officium Christi mediatorum seu redemptori-
um quo parts, seu species, habet?*

Ex operationum Christi secundum utramque naturam communione redundat officium ipsius, tanquam *Mediatoris & Redemptoris.* Gal. III, 20. 1. Tim. II, 5. Hebr. II, 19, 20. Xll, 24. Rom XI, 26. quod est triplex: *Sacerdotale, Propheticum & Regium.* Apoc. I, 5, 6.

Sacerdotale est, quo ~~h~~edibus ~~o~~peis semetipsum sanctificavit pro omnium peccatis, & per æternum spiritum Deo obtulit proprium sanguinem in odorem bonæ fragrantie, iisque impetravit benedictionem. Joh. XVII, 19. Hebr. VII, 26, 27, 28. IX, 12. 14. X, 10, 11, 12. Ephes. V, 2. Galat. III, 8, 9. Comprehendit satisfactionem, intercessionem & benedictionem.

Satisfactio inter actus mediatorios primas fert, sic appellata vocabulo *forensi*, in Scripturis dicta *redemptio & reconciliatio*. His autem vocibus satisfactionem denotari sensu propriè dico & judiciali, probamus ex rei ipsius *natura*, & verborum *proprietate*. *Res ipsa*, seu necessitas *mediationis & satisfactionis*, supponit justitiam *punitiuam* seu iram, & jus captivitatis apud eum, cui satisfaciendum: id quod Deo tribuitur Gen. II, 17. Ps. XLIX, 8, 9. Levit. XXV, 25, 26. Matth. xix, 35. Joh. III, 16, 17, 18, 19. 36. Rom. I, 18. III, 19. 25. Hebr. II, 14. quo posteriore loco non potestas mortis, sed robur, seu potentia tantum permissa ministerialis circa eam, refertur ad Diabolum, *jus* autem ipsum ad Deum cum expiatione. v. 15. 37. conf. Matth. x, 28. Unde nec locutiones foren-
ses,

ses, quæ hanc in rem adhibentur, alium sensum admittunt, de *redemptione*, Gal. iv, 5. Eph. i, 7. 1. Petr. I, 18, 19. & de *reconciliatione*. Rom. V, 9, 10. 2. Cor. V, 18, 19, 20, 21. Nec verò ipsa *satisfactio* pugnat cum amore Dei, sed eum maximè commendat. Joh. III, 16. Rom. V, 8. Conf. Thes. II, qv. 4. Satisfecit autem Christus pro hominib⁹ *judicio* divino *obedientiā*, & *activā*, Dei voluntatem implendo, Ps. XL, 7, 8, 9. Matth. V, 17. Rom. V, 18, 19. 1. Cor. I, 30. Gal. IV, 4, 5. & *passivā*, Phil. II, 8. potestatem habens ponendi animam, *λύτρον* & *αὐτιδύντρον* pro *omnibus*, semetipsum pro peccatis nostris tradens, & mortuus, factus maledictum pro nobis, redimens nos à legis maledictione, peccata nostra ipse met sursum ferens in corpore suo super lignum, plagasque nostras: Joh. x, 17, 18. Matth. XX, 28. Luc. I, 68. Marc. x, 45. 1. Tim. II, 6. Gal. I, 4. Eph. V, 2. 1. Cor. XV, 3. Gal. III, 13. 1. Petr. II, 24. Esa. LIII, 4, atque ita passus etiam pro *reprobis*, ex pertinacia intereuntibus. Rom. XIV, 15. 1. Cor. VI 11, 11. 2. Pet. II, 1. Quæ quidem *satisfactio*, et si, ut omne *testamentum*, consummata demum est morte ipsa, ad omnia tamen retrò secula *fructu* & *valore* suo extenditur: cuius adumbratae virtute sacrificia Veteris Testamenti erant expiatoria, ex se autem nullo modo. Hebr. VII 1, 24, 25. IX, 12, 13, 14, 15. 25, 26. X, 1, 2, 4, 10, 11, 12. Rom. III, 25. Act. XV, 11. Ap. XI 11, 8.

Intercessio & preces Christi similiter factæ pro omnibus; sed aliter pro fidelibus, quām pro mundo: Esa. LIII, 12. Joh. XVII, 9, 11, 20. Luc. XXII 11, 34. Hebr. V, 6, 7. etiamnum ad dextram Dei in-

ter-

terpellantis pro nobis. Rom. 11x, 34. Hebr. viii, 25.
1. Joh. II, 1. Quò & referenda est benedictio, quæ ipsi
tribuitur Luc. xxiv, 50. Act. III, 26. Gal. III, 8. conf.
Gen. XXII, 18. Hebr. VII, 1. 6, 7. Num. VI, 22-26.

Qv. 10. *Christi Meritum & Satisfactio quomo-
do differunt?*

Satisfactio respicit injuriam compensandam:
Meritum verò, dona gratiæ Divinæ acquirenda.
Actus exinanitionis sunt *satisfactorii*, & *meritorii*:
exaltationis actus satisfactionem sequuntur, &
solum meritorii sunt, ac complementum officii
mediatorii. Rom. I, 4. IV, 25. Act. XVI, 31. Eph.
I, 20, 21, 22, 23.

Qv. 11. *Officium Christi Propheticum in qui-
bus consistit?*

In Scriptura S. commendatur Deut. XIIIX, 15-18.
Ez. LXI, 1, 2. Matth. XVII, 5. Luc. IV, 17, 18, 19, 20,
21. Joh. I, 18. Consistit non tantum in eo, quod
Christus Patris sui coelestis voluntatem, & arca-
num de redēctione & salutē nostra consilium,
hominibus patefecerit; sed, quod & autoritatem
doctrinæ suæ, & singularem vim atque efficaciam
Spiritiū S. impertit, quam nemo aliis conferre
potest. *Immediate* id præstīt. Matth. III, 5. IV,
17. Marc. I, 22. Joh. I, 18. Hebr. I, 2. *Mediatè*, post
ascensionem præsertim, per alios, secundum insti-
tutionem suam. Matth. XXVII, 19. Marc. XVI, 20.
1. Cor. III, 7.

Qv. 12. *Regium Christi officium in quibus
consistit?*

In Scriptura S. prædicatur Psal. II, 6. Ez. IX, 7.
Jer.

Jer. XXIII, 5. Dan. II, 44. Zach. IX, 9. Luc. I, 33.
 Joh. XIII, 35, 37. Apoc. XIX, 16. Consistit in
triplici dispensatione: secundum *potentiam*, seu
providentissimam gubernationem & conservatio-
nem *hujus universi.* Ps. CX, 1, 2. Hebr. I, 3, 13. X, 13.
 Eph. I, 20, 21. secundum *gratiam*, quatenus Eccle-
siam suam Christus per gratiæ influxum regit,
ipsumque potentia regimen, illius & singulorum
fidelium ad salutem, dirigit. Psal. CX, 2, 3. Rom.
 III, 10, 11. 39. XIV, 7, 8, 9. 1. Cor. I, 30, 31. 2. Thess.
 III, 5. 2. Pet. II, 9. secundum *gloriam*, quam in cœlis
exercet, adventusque ejus secundus patefaciet, à
fidelibus desiderandus. Col. III, 3, 4. 2. Thess. I, 10.
 1. Cor. I, 7. 2. Tim. IV, 8. Tit. II, 13.
 Qv. 13. Si mediator noster est homo, Christus Jesus
 1. Tim. II, 5. hujusque mors λύρεον, estne hinc ille
 mediator secundum humanam natu-
 ram tantum?

Locutionibus ejusmodi significatur modò, quòd
aëtus satisfactionis pro hominibus ab Hominis Filio
 præstandus fuerit in *substantia* humanæ naturæ, se-
 cundum quam unctus mediator est. Psal. XLV, 8.
 Hebr. V, 1. In *furo autem divino ad satisfactionem*
 requiri *infinitum*, à natura Divinâ impertitum, va-
 lorem; officiumque idcirco mediatorum ad utram-
 que naturam pertinere, docetur Hebr. IX, 13, 14.
 1. Pet. I, 18, 19. Act. XX, 28. Rom. V, 17.

Qv. 14. Uſus totius officii mediotorii in quibus
 consistit?

In duobus illis redēptionis fructibus, *justifica-*
tione, seu remissione peccatorum, & *sanctificatione.*
 Conf. Lib. III. c. I. Th. I. qv. 2, & 3. Cum B. Luthe-
 ro:

ro: ut Christo uitamur, ut dono, & exemplo. Quocirca
observandum, ut donum interpretetur non tan-
tum remissionem peccatorum, sed etiam simul vires
spirituales, ad exemplum Christi exprimendum ab
ipso acquisitas nobis & necessarias; hoc est, totam
benedictionem, seu spiritus promissionem. Act. III, 25,
26. Gal. III, 8. 14. conf. L. III. c. I. Th. I. qv. 3.

Exemplum verò Christi necesse est sequamur, se-
cundum triplicem officii redemptorii differentiam.
Quoniam ille sacerdos factus non sibi, sed nobis est,
tum ad expianda hominum peccata, tum ut recon-
ciliati se & corpora sua offerant Deo *victimam* vi-
vam, sanctam atq; acceptam; Rom. XII, 1. hinc mor-
tificent carnis reliquias, crucifigentes carnem cum
suis cupiditatibus, Gal. V, 24. peccatis mortui, justi-
tiæ vivant, ipsis vibicibus fanati, 1. Pet. II, 24. & per
ipsum offerant Deo semper sacrificium laudis, Hebr.
XIII, 15. Agnoscentes unum Dominum, spiritu fidei
dominentur peccato, Rom. VI, Diabolo, 1. Joh. II, 13.
mundo, c. V, 4. ipsi quæ morti, 1. Cor. XV, 54. & o-
mnibus, sive aliena sive propria sint, Rom. II X, 37,
38. 1. Cor. III, 21, 22. VI, 12. 2. Cor. IV, 13. Hebr. XI.
Denique verbum Dei trahent ita sedulò, ut adhor-
tentur alii alios, & ædificant singuli singulos. Col.
III, 16. 1. Thess. V, 11. 14. Nam ipsi in Christo capite,
ut membra, ad triplex illud officium uncti sunt, di-
cti hinc regale sacerdotium. Eph. I, 22, 23. IV, 15, 16.
1. Petr. II, 9. 2. Cor. I, 21. 1. Joh. II, 27. conf. sup. de Fi-
ne Incarn. qu. 8.

Qv. 15. Estne ergò adhuc durans trinum illud
officium Christi?

Omnino, per fructum ipsius atque usum, seis
applic.

applicationem. Etsi enim ipsâ resurrectione Christus ex parte sui complevit redēctionis officium, ad justificationem credentibus impertiendam, statumque ejus completum occupavit sessione ad dextram Patris; apud nos tamen illius fructus adhuc semper completur usū ipso, postquam Christus caput pro corpore accepit *dona*, atque hæc effundit hodienum in membra sua seu fideles: quorum & *opera* & *passiones* complere debent, non satisfactionem aut meritum, sed modò victoriā in effectu & fine proximo, ut detur aditus magis magisque ad ultimum. Rom. IV, 25. Ephes. IV, 8. Col. I, 24. 1. Cor. XV, 25. Apoc. I, II, III.

THESES MORALES.

TH. I.

Totum pietatis, seu cultūs Dei, mysterium fundatum est in eo post lapsū, ut Deus in carne conspicuus reddatur. Ordo autem, quo id obtineri possit, non datur aliis, quam ut, perversa carnis in mente ac corpore operationibus, quæ meræ sunt tenebræ, virtute lucis seu fidei superatis, homo sic regenitus victoriā istam & pacem conservet; unus cum Domino spiritus factus, ipsique unicè adhærescens, tentationes quasvis subigat; & hac simplicitate fruens, magis magisque ex Christi promissionib⁹ ac fide omnium Dei attri-

224 DE MYST. PRACT. FUNDAM. [L.IV.C.I.]
attributorum imaginem, intra se operantem,
tanquam verum principium morum spiritua-
lium, experiatur.

Qv. 1. *Mysterium cultūs Dei in quonam fundatur?*

Optimè illud Apostolus derivat ex mysterio Dei & Christi, 1. Tim. III, 16. affirmans, *magnitudinem Christiani mysterii*, quod totum intendat ipsam pietatem, in eo consistere, ut *Deus conspicuus fiat in (nostrā etiā) carne*, quā videlicet ipsius imago abolita erat, in hominibus. *Quo quidē edocet, Incarnationis finem ac fructum esse*, ut ne caro amplius dominetur, sed dominium Dei per Christum instauretur in creditibus, ac manifestum reddatur, Rom. IX, 3, 4. Eph. III, 17, 18, 19. conf. Th. III.

Qv. 2. *Quid creatione illā spirituali, seu regeneratione, efficitur ad cultum Deo praestandum?*

Tenebris cupiditatum, lumine cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi, superatis, nova illa creatura est unus cum Domino spiritus, mens Christi atque agnitus veri Dei, 2. Cor. IV, 6. V, 17. 1. Cor. VI, 17. 1. Joh. V, 20. Hoc igitur affectu homo simpliciter adhærens Domino, *carnis operationes* constanter subigit, pacem conservat, imagine attributorum Dei in Christo fruitur, atque ex hac fidei efficaciā virtutes profert. Phil. IV, 7, 8. 2. Cor. III, 18. Ita non tam ipse operatur, quām Deo simplicissimo in solidum addictus, ipsius spiritum intra

DE MYST. CHRISTI PRACTICO. [L.IV.C.I.] 225
intra se operantem sequitur: seu quod idem, homo jam conversus tantum atque tam diu bene operatur, quantum & quam diu per Spiritum S. ducitur, regitur & gubernatur. LL. Symb. pag. 674. Conf. supra p. 20, 33, 34. it. 115, 116. 149.

TH. II.

Ex unione personali, communicatione naturalium & idiomatum in Christo, non tantum opera officii mediatorii ad redemtionem pro nobis praestandam fluxere; sed etiam in iis, qui Christum recipiunt, communio vi-
rium mortis & resurrectionis ipsius, unio cum Christo & Deo mystica: atque exinde opera spiritus, tanquam apotelesmata, ad sanctificationem & imaginem Dei excolen-
dam, profiscuntur.

Qv. I. Estne mysterium Christi ita practicum, ut fides ipsum influxum virium spiritualium ex Christi merito & spiritu nobis subministret?

Omnino. Fides sic est principium actionum Christianarum, ut efficiat vitam filii Dei in credentibus efficacem, subministrans promissum ipsum spiritum, atque operans potentias ac virtutes in iis per Jesum Christum, quem induerunt. Gal. II, 20. III, 2. 5. 14. 21, 22. 26. Phil. I, 11. Ita vero id fieri per Jesum Christum, ut in ipsis spiritus Christi sit ac habitat, quo agantur; docet Paulus Rom.

P

VIII.

VIII, 2, 3, 4. 9, 10, 11. 14. Sic etiam in Epistolâ ad Ephesios testatur, quod Christus sit *caput*, *influxum* præbens in *membra* corporis sui mystici; Eph. I, 22, 23. IV, 15, 16. V, 30. in quo creari sint ad bona opera: c. II, 10. IV, 20, 21. qui habitet per fidem in cordibus, ut impleri possint omni plenitudine Dei. c. III, 17. 19. conf. Joh. I, 16. Atque efficaciam ipsius meriti Christi, mortis & resurrectionis, hanc esse, ex qua Spiritum suum nobis conferat, prolixè discitur ex Rom. VI, 3. &c. Eph. II, 5, 6. Phil. III, 10. Colos. II, 11. &c. I. Pet. II, 24, 25. I. Joh. I, 7. 9. III, 8. V, 20.

Hic erat finis unionis personalis in Christo, ipsiusque ex eâ redēmptionis præstite, ut, postquam humana in Christo natura plenitudinem Deitatis omnem ex communione ipsa receperat, nobis inde indoles divina, sublatâ veteris pravitatis dominio, communicaretur, ad instaurandam in nobis imaginem Dei, seu sanctificationem, ex Christo, ut fratre nostro primogenito. Col. II, 9, 10. 2. Pet. I, 4. Hebr. II, 10, 11. Conf. Joh. VI, 53, 54, 55, 56, 57, 58. & suprà p. 31, 32.

Qv. 2. *Quinam ergo effectus seu actiones ex unione illa cum Deo oriuntur?*

Quemadmodum unio personalis in Christo proferebat opera, partim *miraculosa*, partim *officia mediatorii propria*; sic certo modo ex unione spirituali, inter Deum, mediante Christo, & fidem animam, communis fluit productio ἀπόλετομάτων, ad quæ & Deus & fidelis homo concurrunt, sive sint *miracula* in nomine Jesu Christi, sive opera *Spiritus sanctificantis* ad imitandum Christum,

DE OPER. EX UNIONE SPIR. [L. IV. C. I.] 227

stum, quæ dicuntur *fructus Spiritus*. Hæc enim
opponuntur vel operibus *carnis*, ex securitate;
vel *legis* operibus, ex servili *coactione* oriundis.
Miracula quidem non ab omnibus, spiritus vero
opera ab omnibus fidelibus requiruntur. Marc.
XVI, 17. 1. Cor. XLI, 29, 30, 31. XLI, 1, 2, 3. &c. XIV,
29. Gal. V, 22. Eph. V, 9.

Qv. 3. Nónne virtutes etiam sunt legis
opera?

Non. Scriptura *legis opera* dicit ea, quæ tan-
tum ex formidine poenæ, aut spe præmii alicujus,
h.e. ex *legis coactione*, & eatenus quidem secun-
dum ipsam fiunt; *spiritualitate autem*, quam lex
requirit, & Evangelium ex adoptione confert,
destituuntur. Rom. III, 20. 28. Gal. II, 16. III, 2. 5.
10. IV, 5, 6. 1. Joh. IV, 18. Conf. B. Luth. præf.
German. in Epist. ad Rom. it. LL. Symb. p. 596.
921. 721, 2.

TH. III.

Christus in Scripturis non modò secundum per-
sonalem unionem sumitur, sed passim etiam
mysticè; hoc est, ita, ut, quæ individua-
liter in ipso impleta sunt, tribuantur quo-
que ipsi in corpore mystico, Ecclesia & sin-
gulis membris fidelibus, vel tanquam imple-
ta, vel adhuc porrò implenda: ad eorum
communionem cum ipso passionibus firman-
dam, & futurâ gloriâ consummandam.

P 2

Qv. I.

Qv. 1. *Quodnam est fundamentum, ex quo Christus spectatur mysticus?*

Unio Christi & fidelium. Quemadmodum ex unione in Christo personali, & naturarum communicatione, fluit communicatio idiomatum in primo genere, axiomatum divinorum in secundo, apotelesmatum in tertio: conf. suprà Th. IV. qv. 5. ita ex universo illo Christi merito fit, ut inter ipsum ac fideles spiritualis unio, & ex hac communicatio similiter existat triplex: (1) Idiomatum, ut credentes in iudicio divino haud aliter respiciantur, quām in ipso Christo, cuius idiomata receperunt, tanquam populus περιέστη, corpūsque & membra sunt; atque hinc cum ipso dicantur unus Christus, uno eodemque ordine, tam exinanitionis, quām exaltationis, ad gloriam perducendus: Gal. III, 16, 28, 29. Joh. I, 12. 1. Joh. V, 20. Tit. II, 14. Eph. I, 22, 23. 1. Cor. XII, 12. 1. Pet. I, 10, 11. Hebr. II, 6, 7, 10, 11. & vicissim, idiomata credentium ipsi Christo tribuantur. Matth. XXV, 35, 40. Act. IX, 4. Col. I, 24. (2) Axiomatum, ut, qui Christi sunt, divinæ naturæ (seu indolis) participes fiant, per eum superatā mundi concupiscentiā. 2. Pet. I, 4. Eph. III, 19. Apoc. I, 6. (3) Apotelesmatum, ut Gal. II, 20. conf. Th. II. qv. 2. p. 226.

Qv. 2. *Quid hinc ad praxin?*

Doctrina de Christo mystico fundamentum est, unde reditus datur ad imaginem Dei instaurandam atque excolendam. Qum enim Christus non pro se passus & refuscitatus, sed pro nobis sit: *imago Dei in nobis* exinde perfici haud potest, nisi ipsa inchoetur apud nos virtute ac viâ tum exi-

Mystico. [L.IV.C.I.] 229

exinanitionis, tum exaltationis Christi; atque ita etiam magis magisque augeatur, consummanda tandem aliquando. Rom. VIII, 10, 11, 17, 2. Cor. IV, 10, 16, 2. Tim. II, 11, 12.

Hinc summa impietas, si quis statuit laxiorem seu licentiores vivendi modum esse *finem*, seu *effectum*, meriti Christi. Malach. III, 3, 4, 13. &c. IV, 2, 5. Rom. I, 2, 18-22. Tit. II, 14. Conf. L, II, c. III. Th. M, III, q. 1, 2, 3.

AD TOTUM CAPUT

Conf. Joh. Arnd, de Ver. Christ. lib. I, cap. I. XXI. XXIV. XXVIII. XXXIV. XXXVII. XLI. Lib. II, cap. I. III. IV. VI. XI. XII. XIII. XIV. XVIII. XIX. XXIX. XXXV. LVI. Lib. III, cap. XI. XIII. XV. XVI. XVII. XXIII. Lib. IV, part. I. & II, cum append. II, & III.

CAP. II,

De Verbo Dei, & Sacra- mentis.

THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Sacra Scriptura est verbum à Deo inspiratum, divinaque hinc & auctoritate & efficacij pollicens, perfecta & perspicua credendi agendique norma, constans Lege & Evangelio; quibus fœderis Evangelici œconomia, sub Veteri & Novo Testamento, respicitur, offertur ac confirmatur.

P 3

QV. I.

Qv. 1. Estne Sacra Scriptura divinitus inspirata?

De Canone Vet. Testam. in Libris Hebræo idiomate conscriptis, Apostoli testantur 2. Tim. III, 16. 2. Petr. I, 20, 21. de Libris Nov. Test. Grecis Act. II, 4. Rom. XV, 18. 1. Cor. II, 13. XII, 7, 8. 11. 2. Cor. III, 5. Utrig; exhibent fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cuius est angularis JESUS CHRISTUS. Eph. II, 20.

Canonicis libris Apocryphi opponuntur, de quorum inspiratione, divinitus atque immediate facta, haud constat: cujusmodi habentur, qui Vet. Test. volumine continentur Græcè consignati.

Scriptura Sacra est verbum Dei, scriptum à Prophetis & Apostolis ex divina inspiratione, tradens ea potissimum, quæ ad imaginem Dei instaurandā, & consequendam vitam æternam, sunt necessaria.

Qv. 2. Quot modis spectatur verbum Dei?

Quod tale est, vel (1) sententiâ, ordine, & efficaciâ; ut sanctorum dicta & scripta: 1. Pet. IV, 11. vel (2) re pariter ac verbis, ut Versiones: vel (3) Θεόπνευστον, à Deo profectum, & re, & verbis, & ipso idiomate; ut Scriptura Canonica, Hebræa Veteris, & Græca Novi Testamenti.

Qv. 3. Quotuplex verò est?

Duplex; Legis & Evangelii. Lex quidem, latè sumpta, significat totam Scripturam S., ut in Psalmis; strictè autem, quicquid præcipitur, vel prohibetur à Deo, cum obligatione ad obsequium, aut poenam: ut in Epist. Rom. Gal, estque Moralis, Ceremonialis & Förensis.

Lex fidei, lex Spiritus vitae, libertatis, Christi, Rom.

DE LEGE ET EVANGELIO. [L.IV.C.ll.] 231

Rom. III, 27. VIII, 2. Jac. I, 25, II, 12. Gal. VI, 2. dicitur
Evangelium, quando opponitur legi *strictè* dictæ,
intrans nos spectatæ, quatenus hæc per lapsum viri-
bus destituta est. 2. Cor. III, 6. 7. Rom. VIII, 3. conf.
sup. p. 72, 73.

Evangelium *strictè* sumitur, quatenus gratiam
annuncians solatur, & erigit per terrefacta corda,
peccati & reatum & dominium auferens, novasq;
vires Spiritus S. afferens: *latè* dicitur, quando
Christus ab animâ vivificatâ blandè & efficaciter
requirit charitatem, vel legem declarat. Joh. XIII,
15. 34, 35. XV, 12, 13. non tanquam *novus Legisla-*
tor, sed veluti exemplar & amicus, v. 15. legisque
instaurator, vel interpres; Rom. III, 31. VIII, 2, 3, 4. 10.
Matth. v. vel etiam, si ad conterendum animum è
passione suâ vires subministrat. conf. sup. p. 133.

Qv. 4. *Quid de usu Legis & Evangelii Scriptura docet?*

Usus Legis & Evangelii totus respicit *pacium*,
quod Deus cum hominibus post lapsum iniit, E-
vangelicum. Huic *in servit tempore Veteris Te-*
stamenti Lex, tam Ceremonialibus, & judicialibus
præceptis, quam moralibus, adumbrando atque
exigendo. Lex autem Moralis ei & in Novo
Testam. adhuc perpetuò inservit, tum exigendo:
unde *usus Legis elencticus*, in agnoscendis pecca-
tis; & *pædagogicus*, compellens ad querendum
Mediatoris auxilium: tum *docendo*, qui est usus *di-*
didacticus, explicans voluntatem Domini imple-
dam. Joh. XVI, 8, 9. &c. Rom. III, 20. IV, 15. VII, 7
XIII, 8, 9, 10. Gal. III, 24. Deut. VI, 5, 6, 7, 8, 9. Phil.
IV, 8. Conf. sup. p. 92, 96, 97, 133, 134, 137, 140.

Discrimen verò legis & Evangelii non tantum in eo consistit, quod illi præceptorum littera, cum effectu occidendi, iram & damnationem operandi; huic promissionum Spiritus, cum effectu spiritu-alis vitae, salutis, gratiae ac veritatis, seu quod idem, remissionis peccatorum ac virium sanctificationis, tribuatur: 2. Cor. III, 5, 6, 7. Rom. I, 16. IV, 15. Gal. III. Joh. VI, 63. sed Lex & Evangelium tot discernuntur etiam modis, quot dantur Articuli Fidei; utpote quorum applicatio ad conscientias verè convertendas sic instituenda, secundum Legis & Evangelii differentiam, ne ex confusione proprietatum Legis & Evangelii utrumque, vel alterum, effectu destituatur suo. De renovatione vid. suprà p. 180. 172. 72. 134.

Qv. 5. Pactum Dei cum hominibus quotuplex?

Duplex: *Legale, & Evangelicum.* Illud verò non nisi ante lapsum extitit: hoc statim post lapsum per benedictionem seminis mulieris incepit, duravitque temporibus tam Veteris, quam Novi Testamenti, quæ tantum diverso dispensandi modo differunt. Lex autem Mosaica non est foedus principale, propterea quod finem attingere seu praestare nequit; sed subintravit modo, inserviendi caussā. Rom. V, 20. Gal. III, 17. 19. Act. XV, 11. Conf. L. II. c. II. Th. D. V. qu. 2.

Pacto Evangelico sigilla annexa sunt: Arrha Spiritūs, & duo Sacramenta. Conf. B. Job. Arndii Informatorium Biblicum. p. 9.

Qv. 6. De auctoritate, perfectione & perspicuitate Scripturæ S. quid statuendum?

Auctoritas Scripturarum judicanda ex auctore;
qui

DE VERBI PROPRIETATI. [L.IV.C.II.] 233

qui quum Deus sit per inspirationē immediatam, hæc quibus competit utriusque Testamenti scriptis, una iis eademque est auctoritatis, divina prorsus, omnique humanā & angelicā autoritate major; Joh. V, 36, 39, 40. Gal. I, 8, 9, 1. Joh. V, 6, (Conf. qv. I.) agnoscenda à testimonio Spiritū S. interno. Joh. VII, 17. 1. Joh. V, 6, 10.

Scriptura Sacra est perfecta, atque in verbis perspicua, eo sensu, ut exinde à quovis sufficienter cognosci & intelligi possint, quæcunq; homini, ad salutem perducendo creditu & factu necessaria sunt; ideoque est regula fidei & vitæ, cui nil addendum, aut detrahendum. Psal. CXIX, 105. Luc. XVI, 29. Act. XX, 27. Rom. X, 17, 18. 2. Tim. III, 14, 15, 16, 17. Gal. I, 8. 2. Pet. I, 19, 20. Apoc. XXII, 18, 19.

Qv. 7. S. Scripturæ efficacia qualis est?

Efficacia supernaturalis, ad efficiendum assensum & obsequium, non ex rationibus humanæ sapientiæ, sed ex spiritu & potentia: quam Spiritus S. verbo indidit, pérq; illud exserit, quando ipsum legit, audit, mediatur homo, vel Spiritus S. insitum in ejus corde & memoriâ excitat. 1. Cor. II, 4, 5. Rom. I, 16. XV, 18. Hebr. IV, 12. Jac. I, 21, 1. Pet. I, 23. 1. Joh. III, 9. Conf. suprà p. 132, 133.

Qv. 8. Verbum Dei quo sensu dicitur fundamentum fidei?

Verbum Dei est fundamentum fidei, quatenus suprà dictis proprietatibus à Spiritu S. instructum, ex merito Jesu Christi, tanquam imi angularis lapidis. Dicitur autem fundamentum Prophetarum & Apostolorum non aliter, quam quod per eos,

tanquam ministros, à Spiritu S. actos, sit traditum.
Eph. II, 20, 21. Jac. I, 21. 2. Petr. I, 16, 19, 20, 21.

TH. II.

Sacmenta sunt duo in Novo Testamento; unum Initiationis, Baptismus, alterum Confirmationis, S. Cœna: quæ actiones sacræ, à Christo mandatæ verbo institutionis ac promissionis gratiæ, quod externè usu elementi significant, simul interius virtute spirituali verè conferunt, ad fidem accendendam & confirmandam necessariæ.

Qv. i. *Quænam observanda analogia Sacramentorum Vet. & Novi Testamenti?*

Sacmentum est vox Ecclesiastica, denotans actionem sacram, sub peculiaris elementi, seu rei terrestris, & verbi Dei usu, divinitùs institutam. Cujusmodi fuere quidem plures, tanquam visibilia invisibilis gratiæ Dei signa, sed temporarie modi. Exod. XIII, 21. XIV, 22. XVI, 14. XVII, 6. 1. Cor. X, 1, 2, 3, 4. Jac. V, 14. Ordinaria autem & perpetua, atque ideo strictè dicta Sacmenta, in utroque Testamento sunt tantum duo, per quæ Christus venit. 1. Joh. V, 6. Conf. Joh. XIX, 34. Baptismus, qui Circumcisioni; & Cœna Dominica, quæ Agno Paschali successit. Col. II, 11. Matth. XXVI, 28. Conf. 1. Cor. XII, 13.

Sacmenta Vet. & Novi Testamenti differunt,
tum

tum aliis proprietatibus, tum verò præcipue, quod illa adumbrarunt Christum in carne exhibendum, hæc verò ipsam in carne exhibitum offerunt. Col. II, 11. 17.

Qv. 2. Baptismus quid?

Aetio à Christo instituta, quā abluntur homines aquā in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, ut spiritu fidei circumcidantur, seu regenerentur, atque adoptentur. Verbum institutionis est Matth. XXVIII, 19. promissionis Marc. XVI, 16. Finem esse circumcisionem spiritualem, regenerationem & adoptionem, docetur Rom. II, 28, 29. Col. II, 11, 12. conf. Rom. VI, 2. 4. Joh. III, 5. Gal. III, 26, 27. Tit. III, 5, 6, 7. Conf. sup. p. 140.

Qv. 3. Ritu ablutionis, submersionis & emersionis, quid significatur, & quid per Baptismum ita conferitur?

Declaratur hoc ipsum I. Pet. III, 21. Rom. VI, 4, 5, 6, 11, 12. Vlll. nempe, dominium peccati originalis cum reatu exui, virtute mortis Christi; ut autem vitam spiritualem in Christo ex ipsius resurrectione conservent renati, opus esse continuâ reliquiarum peccati originalis, ipsos afficienit, mortificatione & exultatione: atque huic negotio inservire crucem, & internam, & externam in omnivitâ. Conf. Gal. V, 24. VI, 14, 15. 2. Cor. IV, 10, 16. Phil. III, 10. Tit. III, 5, 6, 7, 8.

Ipsò Baptismo simul efficitur apud eos, qui Spiritus S. gratiæ non resistunt, (id quod apud infantes certissimum est) ut (res cœlestis) vires spirituales, & mortis & resurrectionis Christi, conferantur ipsâ ejus intimâ communione; peccatumque, originale cum actualibus, quoad spectatur

Etatur reatus, non imputetur, quoad dominium, aboleatur, quoad efficacia, frangatur & mortificetur. Rom. VI, 4. &c. VIII, 1. I. Cor. VI, 11. 15. 2. Cor. V, 17. Eph. V, 26. Tit. III, 3, 4, 5, 6. Gal. III, 27. Conf. cum Rom. XIII, 13, 14. & Coloss. III, 9, 10, 11, 12. Item Apol. Aug. Conf. p. 58.

Qv. 4. *Uſus Baptiſmi eſtne omnibus & ſingulis
neceſſarius?*

Ex ordine divino tam infantibus, quam adultis, est necessarius, ad spiritum fidei accendendum aut confirmandum, ut ex humano arbitrio haud prætermittendus sit: Joh. III, 5, 6. Act. VIII, 37. X, 47, 48. Rom. IV, 11. privationem tamen, sine contemptu obortam, non damnare, liquet Marc. XVI, 16. Propter necessitatem etiam durat Baptiſmi uſus, neque actus ejus iterari debet: licet enim lapsis, regenerationem amissam recuperare, adhibita verâ pœnitentia; quo in privilegio fœderis Divini pars versatur. Ps. CV, 8. Rom. XI, 29. 2. Tim. II, 13. 2. Cor. VII, 10. XII, 21. Conf. p. 140.

Qv. 5. *Cœna Domini quid?*

Actio à Christo instituta, quā datur ipsius *corpus* sub pane benedicto ad manducandum, *sanguis* sub benedicto vino ad bibendum; in commemorationem mortis ejus gratissimam, remissionis peccatorum, spiritualis nutritionis & dilectionis mutuae confirmationem. Verba institutionis & promissionis sunt Matth. XXVI, 26, 28. Marc. XIV, 22, 23, 24. Luc. XXII, 19. 1. Cor. XI, 23. De fine & fratribus agitur ibid. & certo respectu Joh. VI, 56. 1. Cor. X, 17. XI, 26. XII, 13.

Qv. 6.

DE SACRAM. DISPENSATIONE. [L.IV.C.ll.] 237

Qv. 6. *Quid de præsentia corporis & sanguinis
Christi credendum?*

Præsentiam utriusque realem & substantialem esse, ut & corpus & sanguis, unâ cum pane & calice, distribuatur, locutiones Institutionis exhibitive docent. Transubstantiationem vero non fieri, evincit communionis mentio. 1. Cor. X, 16. XI, 27. 29.

Qv. 7. *De usu quid notandum?*

Ad eum nisi quis explorationem penitentiae ac fidei seriam adhibuerit, tremendo judicio obnoxius est. Quâ cum sollicitudine usus crebrior commendatur 1. Cor. XI, 26, 27. Nulli admittuntur, nisi antea explorati: Aug. Confess, de Abus. Art. III.

THESIS MORALIS.

Verbi & Sacramentorum efficacia fundamentum præbet vero Dei cultui, & bonis operibus; ideoque justo ordine, externo & interno, usurpanda & dispensanda semper est.

Qv. 1. *Unde usus & dispensatio Verbi & Sacramentorum jure suo gaudent?*

Ex sacerdotii spiritualis jure: quod habent fidèles, tanquam membra, ex officio sacerdotali, seu propheticō, capitī sui Iesu Christi. 1. Petr. II, 9. Eph. I, 22. IV, 16. V, 23. 25, 26.

Qv. 2. *Juris illius exercitio an certus ordo
præscriptus est?*

Omnino, ut omnia fiant decenti ordine. 1. Cor. XIV,

238 DE ORD. CIRCA VERB. ET SACR. [L.IV. C.II.]
XIV, 40. Non omnium omnia sunt dona & officia. *I. Cor. I*, 17. *XII*, 27, 28, 29. *Ephes. IV*, 11, 12. unde Ministerorum ab Ecclesia constitutorum est, publicè docere & Sacra menta dispensare. Quanquam si necessitas verus casus incidat, hic quidem non demum jus confert, sed juris sui exercendi justam occasionem dat singulis, potestatemque reddit integrum. *I. Cor. III*, 21, 22, 23. *VI*, 5. *XIV*, 31, 32, 33. Cæterum privata Verbi tractatio cum aliis semper est licita & necessaria. *Col. III*, 16, 17. *I. Thess. V*, 11, 14. *I. Pet. III*, 15, 16.

Qv. 3. *Ordo internus, ad efficaciam Verbi & Sacramentorum percipiendam, qualis requiritur?*

Ordo animi internus *patrum* à Deo oblatum sequitur, consistens prorsus in voluntatis obsequio, ad solicitandam Spiritū S. gratiam, ad captivandam rationem, cum iis omnibus, quae corruptionis sunt, & ad voluntatem divinam toto cordis affectu amplectendam & exercendam. *Matth. VII*, 7, 8, 9, 10, 11. *Joh. VII*, 17, 2. *Cor. X*, 5. *Act. XXIV*, 16.

AD TOTUM CAPUT

Conf. Joh. Arnd. de Vero Christ, Lib. I. cap. VI. VII. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXIX. Lib. II. cap. II. V. XXXIV. Lib. III. cap. II. V. X. XI. XV. XVI. XVII. XIX. Lib. IV. Part. II. cap. VIII. XII. XXXIII.

CAP.

CAP. III.

De Ecclesia & Novissimis.
THESES DOCTRINALES.

TH. I.

Ex Verbi & Sacramentorum usu, ordinem à Christo & Apostolis præscriptum sequente, coalescit Ecclesia, corpus Christi mysticum; recipiens ex ipso capite suo, in membris veris omnibus, vitam & dona spiritualia; cum mutua ipsorum ædificatione, ad finem mundi usque militans duratura.

Qv. 1. An nota veræ Ecclesie est Verbi & Sacramentorum usus?

Non quivis usus Verbi & Sacramentorum veram Ecclesiam notat, sed legimus; hoc est, qui secundum ordinem, à Christo & Apostolis præscriptum, & sine erroribus fundamentum fidei & charitatis evertentibus, exercetur. Nam mediorum illorum finis, Ecclesiam constituens, ædificatio est; quæ si non vera existere queat, nec vera esse poterit Ecclesia. Joh. VI, 56. Joh. II X, 31. 47. 2. Joh. 9. 1. Cor. XI, 20. 21. 33. XIV, Eph. IV, 15, 16.

Qv. 2. Ecclesia quid?

Dicitur communio sanctorum: estque cœtus eorum, qui verâ ac vivâ fide cum Christo capite suo sic uniti sunt, ut ab eo virium spiritualium influxum recipientes, inter se tanquam membra ædifi-

ædificationem excolant in charitate. Eph. I, 22, 23.
III, 17, 18. IV, 3, 5, 12, 13, 14, 15, 16. Quæ est definitio Ecclesiæ veræ, *absolute & propriè dictæ*: quando autem illa spectatur, ut ei admixti sunt *mali & hypocritæ*, locutio est *secundum quid & synecdochica*, ut I. Cor. I, 2. propter externam communionem.

Observandum hinc *vinculum duplex*: (1) inter Deum & homines, spiritus fidei per charitatem efficax: Gal. III, 11, 14. V, 5, 6. 2. Cor. IV, 13. (2) inter fidèles invicem, spiritus charitatis & pacis, seu spiritus communio, fluens ex *unitate corporis, spiritus, vocationis, Domini, fidei, Baptisimi, Dei*. Eph. IV, 3, 4, 5, 6. 2. Cor. XIII, 13. Joh. XVII. Hinc est una, sancta, catholica (*universalis, comprehendens multas particulares*) Apostolica Ecclesia. Eph. II, 20. V, 27. Act. I, 8. X, 35.

Qv. 3. *Eſtne in terris alia Ecclesia invisibilis, alia visibilis?*

Non; sed una est Ecclesia, quæ ob *accidentia diversa* sic appellatur: *visibilis*, à communione Verbi & Sacramentorum publicâ, ad quam Christi *parabolæ respicere solent*; *invisibilis*, à Spiritu communione. Ps. XLVI, 5. Col. III, 3. 2. Tim. II, 19. Gal. IV, 26, 27.

Ecclesia quidem non semper visibilis manet, est tamen duratura semper usque ad finem mundi; & quidem *militans*, nondum *triumphans*. Exod. XXXII, 26. Dan. IX, 26, 27. Matth. XVI, 18. XXIX, 20. Rom. XI, 2, 3, 4. 1. Tim. III, 15.

Mali & Hypocritæ sunt in Ecclesiâ, ipsiusque habentur membra secundum externam professionem; non vero sunt de Ecclesiâ: sed membra Ecclesiæ invisibilis sola visibilis Ecclesiæ vera sunt.

mem.

DE ECCL. PROPRIETAT. [L. IV. C. III.] 241
membra: nec enim duæ, sed una Ecclesia est. i.
Joh. II, 19.

TH. II.

Ecclesiæ militanti imminent Novissima: Mors
singulorum, Adventus Christi cum resurrec-
tione & judicio, piorum æterna glorifica-
tio, & impiorum æterna damnatio.

Qv. 1. Estne mors à Deo omnibus imposita?

Mors, tanquam corporis & animæ dissolutio,
peccatique stipendium & effectus, in omnes per-
vasit; à Deo autem non est, vitæ solius auctore.
Rom. V, 12. VI, 23. Ez. XXXIII, 11. Jac. I, 17. Ali-
quibus ejus loco immutatio contingit. 1. Cor. XV,
51. quam cœlum quoque & terra suo experientur
modo. Hebr. I, 12. Conf. sup. p. 54. &c.

Anima immortalis est. Eccles. XII, 7. Matth.
X, 28. XXII, 32. Luc. XVI, 25. post mortem pio-
rum est cum Christo, Phil. I, 23. apud Dominum,
2. Cor. V, 8. sequens Agnum Dei, quò vadit. Apoc.
XIV, 4. 13.

Qv. 2. Adventus Christi quotuplex?

Primus, in carnem. Malach. III, 2. Galat. IV,
4. Conf. p. 211. &c. Secundus, ad judicium.
Hebr. IX, 27, 28. Intereà adventus Christi spi-
ritualis ad suos fit continuo, secundum utram-
que ejus naturam, Patri & Spiritui S. communis.
Joh. XIV, 18. 23, 26. Eph. I, 22, 23. Apoc. III, 20, 21.
Conf. p. 169.

Qv. 3.

242 DE MORTE, RESURR. JUDICIO. [L.IV.C.III.]

Qv. 3. Quænam est analogia inter mortem & resurrectionem?

Ut ex Adamo mors; ita ex Christo resurrectione:
1. Cor. XV, 21. nova & inseparabilis unio animæ cum corpore, quod qualitates alias diversasque habebit, v. 42. Dan. XII, 2, 3. 13. Mali etiam resurgent. Joh. V, 29. Matth. XXV, 31. &c. Act. XXIV, 15. Rom. XIV, 10. 2. Cor. V, 10.

Qv. 4. Judicium quomodo instituetur?

Judex erit Christus, de occultis secundum Legem & Evangelium judicaturus. Joh. V, 27. XII, 48. Actor. X, 42. XVII, 31. Rom. II, 5. &c. 1. Cor. IV, 5. Jac. II, 12.

Sancti cum Christo malos Angelos & homines judicabunt. 1. Cor. VI, 2, 3. Conf. Ps. CXLIX, & Sap. V.

Qv. 5. Quænam est analogia inter vitam & mortem æternam?

Vita æterna est animæ & corporis æternum duratura beatitas: damnatio & mors æterna, illius privatio, conjuncta cum cruciatis utriusque. Ps. XVII, 15. Matth. XIII, 42, 43. 2. Theff. I, 8, 9, 10. Poena danni, & sensus.

Vita æterna hic datur inchoata per fidem & spem vivam: Joh. XVII, 3. V, 24. VI, 54. 2. Cor. V, 7. Rom. VIII, 24. 1. Petr. I, 3. occulta cum Christo in Deo; sed patefacienda cum eodem in gloria. Col. III, 3, 4. quando fides & spes transibunt in visionem atque intuitionem, 1. Joh. III, 2. 14, 15. (conf. supra p. 32, 33.) cognitionem intuitivam, 1. Cor. XIII, 12. Ex hac fluet omnis beatitas, Matth. V, 8, etiam in voluntate, amor Dei & gaudium

DE VITA ET DAMN. ÆTERN. [L.IV.C.III.] 243

dium; 1.Petr,I,8,9. Joh. XVI,22. Apoc.VII,16,17.
atque ex ejusdem spe apud fidelem in hâc vitâ pur-
gatio sui existit. 1.Joh. III, 2, 3. De mortis æternæ
ratione inchoatâ conf. supra p. 56.

Et præmiorum *accidentalium*, & cruciatuum,
diversi futuri sunt *gradus*, secundum actiones &
passiones hujus vitæ dissimiles. Matth.XI,23. Luc.
XII,47. 1. Cor. XV.

THEISIS MORALIS.

Membra Ecclesiæ militantia sunt triplicia, se-
cundum tres status hierarchicos; per quo-
rum opera, quatenus ex fide charitatem
exercent, regni Christi politia coram hoc
mundo administratur, & Christus contra
Anti-Christum ac Diabolum triumphat, do-
nec præmia distribuat suis: signumque ipso-
rum optimum est, Christi adventum desi-
derare.

Qv. 1. Quot statibus constat Ecclesia?

Tribus statibus hierarchicis: Ecclesiastico, Poli-
tico, & Oeconomico. Quorum vivendi genera,
post vocationem unam primariam ad regnum Dei,
ante omnia semper meditandam, Eph. I, 18, Phil.
III, 14. constituunt vocationes secundarias & specia-
les, ab illâ ad fidei mensuram & normam dirigen-
das, Rom. XII, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. 1.Petri, IV, 10, 11. ut
in singulis Christus Dominus unicè respiciatur

Q. 2. in

244 DE STATIBUS [L.IV.C.III.]

in Ecclesiastico, 1. Cor. IV, 1. 4, 5. Jac. III, 1. Politico, Ps. II, 10, 11. 2. Paralip. XIX, 6. Oeconomico; Eph. VI, 7, 8, 9. Col. III, 23, 24. & ubivis excolatur misericordia, Jac. II, 12, 13. in Ecclesie bonum spirituale & temporale. 2. Thess. III, 10. Ephes. IV, 28. conf. suprà p. 146.

Qv. 2. *Conditiones statūs Ministerialis quænam propriæ?*

Consistit in eo, quod quis separatus sit, Rom. I, 1. ad legitimè & fideliter administrandum Verbum Dei, Sacra menta, Claves, circa peccata reliquamque disciplinam Ecclesiasticam, & curam pauperum. Matth. XVI, 18, 19. XIIIX, 15. Gal. II, 10. Debetur ei, secundum verbum Dei, obsequium, salarium, preces ad Deum. Hebr. XIII, 17. 1. Cor. IV, 1, 2, &c. IX, 4. &c. Gal. VI, 6. Eph. VI, 18, 19. &c.

A Deo *jus constituendi* Ministros gerit Ecclesia, Act. I, 24, 26. VI, 5. XIV, 23. Eph. IV. secundum requisita ad Timotheum & Titum prescripta; præsertim, ut teneant ipsum mysterium fidei in pura conscientia. 1. Tim. III, 9. Quæ dijudicantur à tribus statibus; atque ita fit *Elección*, *Vocatio*, *Ordinatio*: nemini autem citò imponendæ manus.

C. V, 22.

Qv. 3. *Conditiones Magistratū Civilis quenam?*

Versatur hic circa res civiles, curámque gerit publicam, ut laus tribuatur bonis, & ira malis operibus: 1. Pet. II, 14. quapropter & gladium gestat, & milites alit. Rom. XIII. Luc. III, 14. Debetur ei, secundum verbum Dei, obsequium, tributum, preces ad De-

Deum. Act. IV, 19. Matth. XXII, 21. Rom. XIII, 7.
1. Tim. II, 2.

*Rebus sacris etiam præsidio est, ut fiant decenti
ordine, & conserventur. Deut. XVII, 18, 19, 20. Psal.
LXXIIIX, 71, 72. Esai. XLIV, 28. XLIX, 23. Rom. XIII,
3. 1. Cor. XIV, 40. 1. Tim. II, 2.*

Qv. 4. *Quid proprii habet Oeconomicus
status?*

*Ad Statum Oeconomicum pertinet Matrimoni-
um, tanquam peculiare Symbolum mysterii inter
Christum & Ecclesiam: quò sanctius conjugium
habendum est. Eph. V, 23, 29, 30. &c. 1. Cor. XI,
3. 1. Cor. VII.*

*Validum est matrimonium, quod non pugnat
cum ordine præscripto Levit. XLIIX. Matth. XIX.
&c. & tale, ex ordinatione Dei, ac benedictione
Ecclesiasticā, est status sanctus, ratione habitā
communionis externæ: 1. Cor. VII, 14. ratione
autem internæ communionis, quâ coram Deo
versantur conjuges, sanctum illud non est aliter,
quàm si in Domino, h. e. piè vivatur. ibid. v. 39.*

*Concubinatus non est status medius inter ma-
trimonium & flagitium, sed flagitium ipsum, at-
que hoc vel adulterium, vel scortatio: quo no-
mine is prohibetur à Christo & Apostolis, & qui-
dem ex Divinâ institutione solius conjugii Gen. II,
24. Matth. XIX, 6. 8. 1. Cor. VI, 13, 15. &c. 1. Cor.
VII, 2. 9. Hebr. XIII, 4.*

*Officia inter heros, liberos & servos, passim
Epistolæ Apostolicæ inculcant gravissimè. Eph.
VI, 1. - 9. Colost. III, 18. &c.*

Q 3

Qv. 5.

Qv. 5. Quid præterea de vocacionum illarum operibus observandum & sentiendum?

Observandum: (1) si genus vitæ verbo Dei sit congruum, manendum in eo cum pace. 1. Cor. VII, 15, 16, 17, 20, 24. (2) ejusdem exercitium semper ex fide & charitate verâ obeundum. Col. III, 14. 17. Ebr. X, 24. (3) cum abnegatione sincerâ in omnibus. 1. Cor. VII, 29, 30, 31.

De hujusmodi operibus sentiendum, quod in quovis statu sint opera sancta, divina, sacrificia, & politia Christi, regnum suum ostendentis coram hoc mundo, militantis & triumphantis contra Anti-Christum & Diabolum. Ps. CX, 2, 3, 2. Theff. II, 1. Joh. III, 8. IV, 2. Joh. 8. Rom. XII,

In his enim Christus sanctificat corda, & reprimit Diabolum; & ut retineat Evangelium inter homines, foris opponit regno diaboli confessionem sanctorum, & in nostra imbecillitate declarat potentiam suam. Pauli Apostoli, Athanasi, Augustini, & similium, qui docuerunt Ecclesias, pericula, labores, conciones, sunt sancta opera, sunt vera sacrificia, Deo accepta, sunt certamina Christi, per quæ repressit Diabolum, & depulit ab his, qui crediderunt. Labores David in gerendis bellis, & in administratione domestica, sunt opera sancta, sunt vera sacrificia, sunt certamina Dei, defendantis illum populum, qui habebat verbum Dei, adversus diabolum, ne penitus extingueretur notitia Dei in terris. Sic sentimus etiam DE SINGULIS BONIS OPERIBUS IN INFIMIS VOCATIONIBUS, ET IN PRIVATIS.

VATIS. Reliqua ex Apol. A. C. p. 95, 96. videantur suprà p. 146, 147. & híc sequens qu. 6. m. 2.

Qv. 6. Num verò ejusmodi quid faciendum propter præmia?

Principium agendi unicum est fides per charitatem efficax. Gal. V, 6. Spes premii autem est duplex, servilis & filialis: illa fit ipsum agendi principium, & parit opera legis, coastè ex metu damni oriunda; hæc verò non fit ipsum principium agendi, sed ex divinis promissionibus inservit modò excitandæ fidei & amori Dei, tam paternè & blandè nobiscum agentis: illa respicit mercedem, quasi propriè dictam; isthæc nullo modo, sed misericordiæ gustu experitur, nullam esse proportionem operum ad Dei præmia, & dici ita mercedem ex mera gratiæ paternæ abundantia, quâ secundum opera distribuet Christus præmia accidentalia. Quo quidem sensu & iis, ad bene ac fortiter agendum, fideles inflammantur. Matth. XXV, 34. Rom. II, 6, 7. VI, 23. IX, 18. I. Corinth. XV, 58. Hebr. XI, 25, 26. 2. Joh. 8. Conf. suprà p. 177.

Respectus autem præmiis, ne fidei & charitati obfit, purgatur cruce, id quod cum superioribus sic docet *Apologia* A. C. p. 96, 97. Docemus, operibus fideltum proposita & promissi esse præmia. Docemus, bona opera meritoria (minus propriè loquendo, ob defectum & proportionis & virium nostrarum) esse, non remissionis peccatorian, gratiæ aut justificationis (haec enim tantum fide consequimur) sed aliorum præriorum

248 DE MOTIVIS PRÆMIOR. [L. IV. C. III.]
corporalium & spiritualium, in hæc vitâ, & post
hanc vitam; quia Paulus inquit: Unusquisque
recipiet mercedem juxta suum laborem. Erunt
igitur dissimilia præmia, propter dissimiles labo-
res. At remissio peccatorum similis & aequalis
est omnium, sicut unus est CHRISTUS, & of-
fertur gratis omnibus, qui credunt sibi propter
Christum remitti peccata. Accipitur igitur tan-
tum fide remissio peccatorum, & justificatio non
propter ulla opera. Sicut constat in terroribus
conscientiae, quod non possint iræ Dei opponi ulla
nostra opera, sicut Paulus clare dicit: Fide ju-
stificati pacem habemus erga Deum, per Domi-
num nostrum JESUM Christum, per quem & ac-
cessum habemus fide &c. Fides autem quia fi-
lios Dei facit, facit & cohæredes Christi. Ita-
que quia justificationem non meremur operibus no-
stris, quâ efficimur filii Dei, & cohæredes Chri-
sti, NON MEREMU VITAM ÆTERNAM OPERIBUS
NOSTRIS. Fides enim consequitur; quia fides ju-
stificat nos, & habet placatum Deum. Debetur
autem justificatis juxta illud: Quos justificavit,
eosdem & glorificavit. Paulus commendat nobis
præceptum de honorandis parentibus mentione præ-
mii, quod additur illi præcepto: ubi non vult,
quod obedientia erga parentes justificet nos coram
Deo; sed, postquam sit in justificatis, meremur
alia magna præmia. Deus tamen variè exercet
sanctos, & sepe differt præmia justitiae iperum,
ut discant non confidere sua justitia, ut DISCANT
QUÆRERE VOLUNTATEM DEI MAGIS,
QUAM

QUAM PRÆMIA. *Sicut apparet in Job, in Christo, & aliis sanctis. Et de hac re docent nos multi Psalmi, qui consolantur nos adversus felicitatem impiorum, ut Psal. XXXVII, 1. Noli emulari. Et Christus ait: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. V, 10.*

Qv. 7. *Quodnam est signum verorum Ecclesiæ membrorum?*

Desiderio intimo ferri in adventum Domini nostri Jesu Christi. 1. Cor. I, 7, 8. Tit. II, 13, 14. 1. Petr. I, 7, 8. 2. Petr. III, 11, 12, 13, 14. Rom. VIII, 23. 25. Galat. V, 5. Phil. III, 20. 1. Thesal. I, 10. Hebr. IX, 28. XI, 10. Jac. V, 7. Judæ v. 21.

AD TOTUM CAPUT

Conf. Joh. Arnd. de Vero Christ. Lib. I. cap. XIII. XXIX. XXXII. XXXIII. XL. XLII. Lib. II. cap. IV. XI. XIII. XIV. LVIII. Lib. III. cap. II. III. IV. VI. IX. XI. XII. XIII. XIV. XXI. XXII. Lib. IV. cap. XIII. XVI. XXIX. XXIX. XXX. XXXII. XXXIII. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. nec non libell. III. quatuor illis de. V. Chr. annexos, in lib. IV. hunc totum,



INDEX VOCUM ET RERUM.

A.

- A**bmegatio necessaria. pag. 78. quatenus ad poenitentiam, & renovationem. 144. 175. seq. 184.
Abrahae benedictio. semen. 121.
Abstractum à concreto distinguendum. 215. seq.
Abusus justificationis & prædestinationis. 161. evitandus. 152.
præceptorum. 181. rerum. 48. 117. seq. prætextus. 77.
Accidentia, non in Deo. 200.
Adoptionis spiritus, testimonium. 167.
Adventus Christi, triplex. 241. spiritualis. 169. cum desiderare,
signum optimum. 248.
A adulterium spirituale. 74.
Adversaria. 98. vid. **D**e fectus.
Aedificatio. 239. seq. privata. 238.
Aeternitas. 199.
Affectus securitatis, & servitutis, in renovatione. 75. 80. seq.
179 - 182.
Affectionum integritas. 25. quomodo illi Deo tribuantur. 200.
corruptio. 63. coercitio hypocritica. 85.
Afflictio, adminiculum vocationis. 124. renovationis. 173.
Agnitio. 6. 7. 48. vera precibus obtinetur. 125. 191. malorum necessaria. 70. seq. 93. historica, spiritualis. 7, 8, 9. 94. 135.
activa, passiva. 134. seq. experimentalis mysterii de Deo. 204.
Amor Dei. 162. seq. principium agendi. 103. à fide & spe diff. 186. seq.
Amor sui detestandus. 51. seq. 185. ordinatus. 190.
Analogia fidei quid? 12. non apud impium integra, ibid. 193.

Ange-

INDEX VOCUM ET RERUM.

- Angelus, 206, increatus, 207, mali, ibid. judicabuntur à San-
ctis, 242.
Anima immortalis, 241.
Animalis homo, 108.
Animi verè dispositi status, 185, 186, 245, 246.
Ἀνομία, 57. seq.
Ἀντιδοσίς, 214.
Ἀντιλύγον, 219.
Ἀρθροίτιδα, 26.
Ἀπιστία unde, 75.
Apocryphi libri, 230.
Apotelesmata officialia, 215. fidelium, 226, seq.
Appetitus sensitivi integritas, 25. corruptio, 63.
Appropriatio, 204.
Arbitrium, theologicè, 112. quomodo liberetur, 112, 113. ejus
vires nullæ, in spiritualibus, 108, seq. aliquæ in naturali-
bus, 110.
Arrhabo, 165. 168.
Arrogantia naturalis, 5, 185.
Ἄταξία, 59. 63.
Ἄθεοι, 14.
Attributorum divinorum usus, 33. 38.
Ἄυλαγησα, 189.

B.

- Baptismi, 140. 234. seq. significatio & effectus, 68. 235. 6. usus
durans, 236. necessitas, ibid.
Benedictio Abrahæ, 121. Christi, 220. 222.
Bonitas Dei, 124.
Bonum propositum, 94. 145. mali propositi abnegatio, 144. vid.
Animi bene dispositi status, 185. 186. 189. 190. 224.
Blasphemia, an omnis irremissibilis? ex casu, vel coactione, 89.
seq. atrocissimum peccatum, 90.

C.

- Calamitas ex lapsu, 54. 56.
Canonici libri, 230.

Capti-

INDEX

- Captivitas spiritualis. 74. 112.
Caro, duplice sensu. 117. hostis. 46. nocentissimus. 51. abutitur
libertate. 116. 118.
Carnales irregeniti, regeniti. 177.
Caussæ secundæ. 209. seq.
Ceremonialis servitus. 79.
Characteres hypostatici. 201.
Charismata. 194.
Charitas, fundamentum virtutum. 185. erga proximum, ini-
micum. 188. objectum primarium ædificatio, respectus
varii. ibid. Dei, activa, passiva. 163. 168. conf.
Agnitio.
Christianismus. 1.
Christianorum nomen, quam analogiam habeat cum imagine
Dei. 35.
Christus, unctus. 31. 212. generatio duplex, ibid. mysticè sum-
tus. 227. 228. Christi, in Christo esse. 121.
Circumcisio spiritualis. 139. 141.
Circumstantiæ, principia moralia. 115.
Clavis præceptorum. 185.
Coactio, seu coercitio affectuum hypocritica. 79. 81. 85. 119.
166.
Cœna Domini. 236. seq. usus. ibid.
Cognitio. vid. Agnitio. vera, spiritualis. 6. practica. 7. hi-
storica, non vera, ibid. hypocritica. 8. vera impedimen-
ta. 8. efficacis modus. 9. Theologica & Ecclesiastica discri-
men. 9. 10. impiorum non vera, ibid. vera, supernatura-
lis. 10. 11. ex modo judicanda. 135.
Collatio virium credendi. 137.
Cominatio protoplastis facta, ad verbum impleta. 55.
Commissionis peccatum. 84. seq.
Communicatio naturarum in Christo. 212. Idiomatum, 213. 228.
prima. 213. secunda. 214. tertia. 215.
Communio Dei cum homine. 29. Christi, finis vocationis. 126.
duplex. 138. ex unione triplex. 228.

Com-

VOCUM ET RERUM.

- Compositio in Deo nulla, 200.
Concretum distinguendum ab abstracto, 215.
Concubinatus, 245.
Concupiscentia, grande malum, 51. lex insita, 72, 184. cupiditates, mendacia, 47, 48, 117. analogia cum defectu, 61-64.
Concursus, cooperatio, 209. seq.
Conditio testamentaria, 159.
Conscientia, 101. antecedens, ibid, 102. quomodo erret, 103. seq.
subsequens, 104. recta, ibid. erronea, dubia, infirma, praeceps, 105. terrores, 113.
Consensu damnuni compleetur, 50, 59, 112.
Conservatio, 209. actus, ibid.
Contingentia, III, 148. seq.
Contritio hypocrita, 82. vera, 143. vid. Mortificatio.
Conversio transitiva & intransitiva, 141. non ex viribus humanis, 142, 148. seq. significatio, 142. partes, 143.
Cooperari, 113. seq. 130.
Cor, voluntas, 49, 101. fide purgatur, gratia firmatur, 182. seq.
Corruptio totalis, respicit actus & potentiam, in omnibus facultatibus, 62-64.
Creatio, 138. quid? 206. seq. tribuitur Patri, ibid. analogia cum renovatione, 21. spiritualis, 207, 224, 226.
Creatura nova, 139. imago Dei instaurata, 34.
Creature, quomodo participes reatus, 66. primogenitus Christus, 206.
Credulitas distinguenda à fide, 90.
Cruciatum infernali gradus, 242, 243.
Crux quid? 174. vocationis adminiculum, 124. & finis intermedius, 126. seq.
Crucis Christi communio necessaria ad pénitentiam, 5, 14. usus contra abusum prémiorum, 247, 173. seq. duplex, ibid. gloriæ analogia, 174.
Cultus Dei, 185.

D.

- Defectus inter & concupiscentiam, analogia, 61-64, 174.
Defectus virium totalis in spiritualibus, 108. seq.

Dei-

INDEX

- Deitas Filii. 202. Spiritus S. 203.
Demonstratio Spiritus & potentiae. II.
Deus, non causa auctore peccati. 40. seq. Spiritus. 197. quo-
modo membra ei tribuantur. ibid.
Diabolus, hostis. 46. 50. potentissimus. 51. fovet opus opera-
tum. 20. 78. potestas ejus & malorum spiritum. 44. 207. 218.
